VINCENTII MARIÆ CAPVTI

HISTORIÆ

SACRI FŒDERIS

LIBRI TRES.

NEAPOLI MDCCXCV.
APUD SIMONIOS.
Publica auctoritate.

VINCENTIUS MARIA CAPUTI

DOMINICO COTUNNIO

S. D.

Discessurus ab urbe Neapolitana (septem hinc anni sunt) non mediocri dolore angebar, quod ibi ante educatus usque ad undevicesimum annum jucunde commoratus eram; deinde, exacta juventute, redux salubritatem adeptus aeris, quod maxime expetieram, & pulcherrimam civitatem, doctorum quoque virorum colloquiis assueveram, & mitibus ingeniis. Tum tu, suavissime Dominice, dissuasor ante profectionis meæ, cum huc me necessario properare videres, quod res mea familiaris negligentia eorum, qui procurare debuissent, in dies dilaberetur, non destitisti inde præcepta dare valetudinis conservandæ; ut si quid procul abs te novi incommodi caperet mea valetudo, statim ad te scriberem, ut opitulari opportune posses: simul adjecisti mihi ipsi commendationem studiorum meorum; ne ea penitus abjicerem; &, si quæ ederem

rem fortasse opuscula ; mitterem ad te quod his magnopere delectarere. Hæc ego mandata, ut par erat, & tua dignitas postulabat, libenter demisi in animum. Cum autem huc venissem, & multa offendissem, quæ vel ægritudinem animo parerent, vel incommodum valetudini ; non sum cunctatus quibus ad eam sustentandam, adjutore te, & consilio tuo opus esset, sæpius percontari. Et tu subvenisti oppido; & non minorem mihi memoriam, quam benevolentiam præstitisti. Quod vero ad rationem attinet studiorum meorum, non æque facile fuit tibi morem gerere ; cum multa me, & gravia negotia per me ipsum conficienda, a literis abstraxissent. Præterea non tempus, non locus aptus erat fovendis literis. Ac velut cum urbe simul carere debuissem convictu, & usu hominum; nemo hic, cum quo congrederer, vel dubia in scribendo communicarem, aut qui mecum commentaretur aliquid, aut saltem sublevaret domesticas curas, ut ad consueta me studia revocarem. Agrestes, invidos homines terra alit, literarum simul, & humanitatis expertes, quos nec charitate,

te, nec beneficiis abstinere a fraude possis. Cum in hac igitur barbarie versarer, & inter domesticas rapinas, minime mirum tibi debet videri, si literæ tacuerint: præsertim cum & agriculturæ operam dare, ne a novis jacturis, atque ære alieno patrimonium interiret, & parum firmum curare corpus deberem, & rem domesticam non negligere, & cavere quotidianos fures, a quibus me, ne pauperiem penitus inferrent, non tam diligentia mea, quam vis Prætoria tutata est. Enimvero nunc primum, periculoso velut difficultatum freto superato, medela tua, & consilio ad pristina studia reportatus, videor aliquo modo latinis Musis, & lucubrationibus animum applicuisse. Libellum, Sacri Fœderis historiam, tibi sisto, do, dicoque, non novum quidem ipsum, vel nuper cusum, sed de veteri commentariolo juventutis erutum, emendatum tamen nonnullis locis, atque expolitum, ut paullo comptior tibi appareret. Cui autem parvum hoc opus, juvenilem lusum, dono darem? nisi ei, qui novæ mihi scriptionis instituendæ auctor fuit; & medela sua, ut

 scri-

ſcriberem, opem præbuit, & facultatem: cui hiſtoriam Sacri Fœderis Chriſtianorum populorum? niſi Chriſtiano Philoſopho, honeſto, & pio viro: cui denique latinum opus? niſi Cotunnio latinas literas in primis erudito, qui & probare, ſi quid boni in eo ſit; ſi quid vero teretes offendat aures, difficultatem operis excuſare poſſit. Excipito igitur quod multifariam tuum eſt; & adverſus ſeveriores, ſi qui ſunt, Cenſores ſcripturarum defendito ut tuum. Et illi quidem tanti patrocinii verecundia obſtricti vel facile indulgere volent, vel caſtigare leniter; ut id non mihi dediſſe, ſed auctoritati tuæ tribuiſſe videantur. Vale.

Datum Torani tertio Kal. Apr. 1794.

PRÆFATIO.

HOneſtam certe rem (nam propter mediocritatem ingenii mei non æque utilem,) fore video; ſi præclariſſimorum populorum res bello geſtas, & conſilia perſcripſerim: tu m Chriſtianorum Regum ſacrum fœdus, quo adverſus præpotentes Otomanorum opes ſimul arma ſuſceperunt. Maximæ quidem res, & memoratu dignæ, ſed quæ non obſcurum fama Scriptorem deſiderarent. Liceat ſero latinis iis Scriptoribus, qui tantum bellum prætermiſerint, me potiſſimum ſuccedere, ut qui ab initio adoleſcentiæ iſtarum rerum hiſtoria magnopere ſim delectatus. Movent etiam tot eximiæ virtutis, ſimul Chriſtianæ pietatis exempla, quæ in illuſtri poſita monimento, eos præſertim intueri decet, qui Rempublicam moderantur: cæteri vero Chriſtianæ Reipublicæ cives, ſi in iis utiliter erudiri velint, velut in conſpectu habeant, quibus incitentur. At meo quidem animo laborioſum hoc opus varietate ſua, & magnitudine rerum non inanem exhibuit voluptatem; uberes quo-

que, ut ſpero, fructus, cum tot illuſtrium piorum documentorum memoriæ conſuletur. Quod felix fauſtum Chriſtianæ Reipublicæ eſſe, Deumque Optimum Maximum ſecundare velim.

HI-

HISTORIÆ

SACRI FŒDERIS

LIBER I.

JAm primum, ut ab origine tanti belli ordiar, Pannonorum gens Auſtriacum nomen oderat; nec indocili niſi animo Cæſaris imperium patiebatur. Interdum perfidia popularium, non ſemel optimatum, qui gravem juribus ſuis Auſtriacam dominationem exiſtimabant. Turcæ confines (nam meliorem tunc Regni partem obtinebant) ad invadendam provinciam vocati: & hi modo juſtis exercitibus, modo tumultuaria manu Pannoniæ fines ingreſſi: aliquoties etiam vel tentatæ urbes, vel expugnatæ: ob quam rem fiebat, ut quotidiano uſu armis, & ſeditionibus aſſueti minus a bello Pannonorum animi abhorrerent. Annus a Chriſto nato milleſimus ſexcenteſimus ſexageſimus tertius inſignis fuit novo exorto ab Otomanis

nis bello. Literis hi certiores facti quanto Hungariæ populi Auſtriacos odio proſequerentur, quantaque animorum alacritate, ſi una ſigna oſtendiſſent, novam accepturi dominationem eſſent, magno exercitu conflato (ſexaginta millia armatorum fuiſſe quidam ſcribunt) arma in provinciam intulerunt. Diuturnum bellum fuiſſet, Chriſtianoque Regno exitiale, ni proſperum hujus expeditionis principium fœdus exitus deformaſſet. Primo Nayhaysel valida urbs oppugnata, & proditione militum Pannonorum, qui ibi præſidio erant, capta; eodem deinde eventu, negligentibus urbium cuſtodiam Pannonis, Novigradus, Nitria, & Leventz expugnatæ. Majorum tum rerum ſpes Barbaris affulſit; apparebatque nullam interceſſuram moram ad ipſius Viennæ oppugnationem: „ eam urbem caput imperii eſſe, qua „ capta, facilius ſe civitates alias in ſuam „ redacturos poteſtatem „. Eo igitur certam ſibi victoriam pollicentes magna cum alacritate pergunt. Arabo amnis trajiciendus erat, cujus ulteriores ripas Cæſariani cuſtodiebant. Hic paullum morati Turcæ ſunt; flumen deinde tranſeuntibus, Montecucolus

Au-

Auſtriacorum Prætor opportunam victoriæ ſpem nactus, ſi priuſquam omnes tranſgreſſæ copiæ eſſent, cum parte hoſtium confligeret, repente in tranſgreſſos impulit ſigna. Atrox, & diuturna pugna fuit; fuſi poſtremo, cæſique Barbari: hinc majori exercitus parte amiſſa Regno cum exceſſiſſent ad pacem animos inclinavere. Cæſar, illuſtri quamvis victoria ſuorum animos confirmatos, & fractos hoſtium videret, quia tamen a ſe averſos popularium animos probe ſciebat, pacem, quam bellum præoptavit. Ea quoque non honeſta fuit; tenueruntque Barbari, ut Nayhayſel, & Novigradus ſuæ ditioni adjicerentur, ac finis utriuſque imperii eſſent. Ad hujus mentionem pacis nobilium conjuratorum animi metu ſunt conſternati; ſed nihil minus civilia arma horrebant. Coeunt inter ſe nobiles aliquot familiæ, ac nefario fœdere ſeſe obſtringunt, Auſtriacum nomen in Pannonia delere, aut certe imperium labefactare deſtinantes animo. Ubi primum mota arma, Cæſariani binis exercitibus nobilium conatus coercere parant. Liburniam aliquot legiones petunt; ubi Petrus Sdinus adverſus Cæſarem popularium ani-

animos ſollicitabat. Alter exercitus, cui præerat Spork, in ſuperiore Pannonia prælio uno ſecundo cum hoſtibus debellavit. Eperiem, Caſſoviamque urbes a Pannonis ante occupatas recepit; arcemque novam Caſſoviæ imminentem multatitia pecunia conſtruxit. Et in Liburnia Cæſariani Spancau duce Sdrinum perſecuti inter Sacuturni mœnia compulerunt, quo ſe Francipanis contulerat conjurationis ſocius. Hi poſteaquam parum tutam ab hoſtibus arcem viderunt, fugam ſibi ex eo loco conſcivere, atque in Pannoniam receperunt ſeſe. Hic ab hoſte minus cauti paucos poſt dies capiuntur, injectiſque ſtatim catenis, ad Cæſarem militibus cuſtodibus Viennam mittuntur. Ibi primo in carcerem conditi, rei deinde proditionis facti ſecuri in foro percuſſi. Sub idem fere tempus Stephanus Techelius Aruam ſuæ ditionis urbem tenebat; mœnibus, armiſque adverſus Cæſarem ſe defenſurus. Oppugnato ab Auſtriacis oppido, mors eum vinculis, & ſupplicio ſubtraxit. Urbs a Cæſarianis occupata eſt, in qua magnum pecuniæ numerum invenerunt, & multam prætioſam ſuppellectilem.

Gemina hac victoria in Pannonia, atque

in

in Liburnia parta, feverique fupplicii exemplo: ad Reipublicæ falutem neceffario, exterritis conjuratorum animis, paullo feditio conticuit. Sed eam magis oppreffam in præfens, quam penitus extinctam fuiffe fatis conftat. Capita namque conjurationis, etfi pænarum metu quieverant, fecreto tamen coquebant bellum; feductaque a vulgi confcientia fedulo inter fe confilia habebant. Arma, defectionemque fpectabant omnes; fed fuo nomine bellum movere, fine aliquo externo auxilio, nimis temerarium confilium putabant effe. Otomanos æternos Cæfaris hoftes, imminentefque in omnem occafionem imperii fui proferendi iterum ad arma incitandos. Et ftabilita pace, haud difficile effe, ajebant, ad reintegrandum bellum perlici eos; & ipfe injecta fuæ dominationis augendæ, infuper & donis, quorum avidiffima gens eft, Divani principes emi poffe. Hoc laudato confilio, legatos Byzantium mittunt ad Regem Otomanorum: circumeunt deinde domos principum, Maximi Vifiri præfertim (ita fummum Magiftratum vocant), monent „ ne occafioni defint nobiliffimæ provinciæ „ potiundæ, quæ clauftrum, atque arx im-

„ perii

„ perii Romani ſit. Sæpe regionem illam „ omni divitiarum genere affluentiſſimam „ patres eorum appetiviſſe; nunquam da„ tum, ut feroces accolas, provinciam mon„ tibus ac paludibus aditu difficilem doma„ rent: nunc illud tempus veniſſe; nec „ per arma, & cœdes imperium ſibi com„ parandum; ſed inter populorum vota, „ & plauſus, & inconditos militum jocos „ poſſeſſionem accipiendam eſſe. Quod ſi „ certamen impendat, quid non audendum, „ quod non moliri par ſit pro certa Regni „ poſſeſſione, cum levioris quoque ſpei occa„ ſiones nunquam Otomani neglexerint? Moti his adhortationibus ſunt aliquot Divani Senatores. Tenet etiam fama Otomanorum Reginam auro a legatis corruptam fuiſſe, virique animum ad id bellum inclinaſſe: ſed aliæ inſuper erant movendorum armorum cauſſæ. Florebant tunc maxime Otomanorum opes; magnumque ſibi nomen inter ſuos comparaverat Maometus IV. armorum ſuorum felicitate. Nam in Pannonia, ut ante dictum eſt, Nayhayſel, & Novidunum occupaverat, & Clepidavam urbem in Sarmatia, Cretamque inſulam Venetis ere-

ereptam cumulatiori gloria imperio suo adjunxerat : ita haud gravatim ad bellum inclinabat animum. Maximus quoque Visirus Karà Mustaphà feroci ingenio Vir, suaque natura vi quam moderationi propensior haud multum a fraude abhorrebat : avaritia insuper insignis bellum, in quo sibi divitias cumulare posset, libenti animo accipiebat. Accedebat etiam, quod plerique in aula Regis ei privatim inimici erant, diffidebatque in lubrico illo magistratu diutius consistere posse, nisi succinctus armis, legionibusque, inimicorum confregisset animos: tum pro Reipublicæ salute foris belli pericula subeundo, invidiam domi fugere posse non desperabat. Ubi tamen Divani primores in basilicam a Rege vocati sunt, ut super tanta re consultarentur, tum magno animorum ardore in utramque partem disputatum est. Muphtius Otomanorum Religionis Pontifex Maximus in hunc fere modum locutus fertur. „ Non „ desinam ego mirari, Patres, novam, in„ suetamque nobis hodie consultationem pro„ positam esse; quod de re certa, publica „ fide firmata, tamquam de dubia & anci„ piti deliberaturi sumus; quam dubitatio„ nem

„ nem vobis offundere videntur ii, qui pa-
„ cis consilia semper abhorruerunt; qui nul-
„ la usquam injuria lacessiti a Cæsare, belli
„ eidem inferendi vobis auctores fiunt. At
„ quam justa subire debet indignatio animos
„ vestros, cum cogitaveritis, nisi ruptis in-
„ duciis, quæ viginti annorum nobis cum
„ Cæsare sunt, nisi divinis, humanisque ju-
„ ribus violatis, suscipi bellum nullo modo
„ posse? Aliena igitur, nec minus injusta
„ deliberatio est: nec pudeat inde hoc o-
„ mnes mortales scire, nos ad fallendam
„ fidem paratos, nulla honesti verecundia
„ teneri; & seria magis sua ludrica pueris,
„ quam religionem nobis, & sanctiores gen-
„ tium leges esse? Quod si utilis, quam ho-
„ nesti cura potior sit, cladium denique re-
„ cordemur, quas acceperimus. Si Solima-
„ ni, illa vetustate temporum obliterata, me-
„ moria vestra excidit; nonne in mentem
„ venit pugna ad arabonem amnem com-
„ missa, ubi ad satietatem nostram pugna-
„ tum est. An quia Novidunum, & Na-
„ hyahysel urbes tenemus, ideo prosperum
„ bellum fuit? si victoriis eas nos, & non
„ vana hostium formidine, Pannonico, Gal-
„ li-

„ licoque tumultu territorum conceſſas; ſi „ virtute noſtra, non aliena proditione captas tenemus, ſi præda, ſi captis ſignis „ onuſti, non fuſi, profligatique, caſtris exuti, impedimentis relictis ex Hungaria regreſſi ſimus. At ſi majore, quam antea „ conatu Pannoniam aggredi placeat, certam tum nobis victoriam ſperare licet. „ Hoc belli auctores dictitant. Videte tamen quam mea ſententia ab illorum ſententia diſcrepet. Ego, quanto majori apparatu res geratur, tanto difficiliorem victoriam fore puto. Oſtendite ſigna otomana Auſtriæ, exercitum prævalidum, & „ maximis expeditionibus paratum; jam velut ad commune incendium extinguendum „ Germania omnis concurret, & Sarmatarum Rex, & Hiſpanorum Cæſari propinquitate conjunctus. Quod ſi, ut præterito „ bello, clade aliqua afficiamur; quis dubitat, quin & Veneti Cretæ amiſſæ dolore „ moti, & Melitenſes, & Italiæ principes „ gloriæ, prædæque cupiditate uno animo „ arma ſint ſuſcepturi? Scilicet cum univerſa Chriſtiana Europa, cum tot ferociſſimis gentibus ſimul nobis erit pugnandum.

B „ Et

„ Et quidem soli contra tot hostes, rupti „ fœderis sacrilegio contacti, adversus Deum „ sceleris ultorem pugnabimus. Qui tum „ animus, quæ mens, quæ voluntas nostris „ militibus fuerit, considerate: & imparem „ cum hostibus foris bellum habebimus, & „ seditionum domi procellis jactabimur, ma- „ gno nostrarum famæ, vitæque periculo, „ & cum summa jactura Reipublicæ. An „ Pannonorum rebellium auxilio confidimus? „ nulla usquam gens infirmior, & leviori „ fidei mutandæ ingenio; tumultuariis cer- „ taminibus assueti, justi nunquam exercitus „ vim experti, in pace feroces, in bello „ timidi, jam si Cæsar vincula, & suppli- „ cia minetur, hiscere non audeant. Ego „ istam belli movendi sententiam non mo- „ do minus opportunam censeo, sed omni- „ no rejiciendam, communi omnium voce „ extinguendam, pro non dicta habendam „ esse „. Optimus quisque huic opinioni assentiebatur, sed major pars meliorem vicit. Leviorem eum auctorem faciebant, quod ex sacerdotali ærario, quod maxime dives erat, depromenda pecunia esset ad belli sumptus sustinendos, addebant præterea illum

domi

domi desidem, assuetumque templorum coeremonias, scholis, & amicorum colloquiis interpolare, belli maxime apparatum horrere, & militarem strepitum. Quod ad belli vero rationem pertineret, non per jurium disceptationem, & timida consilia Otomanum imperium crevisse; sed virtute, atque armis. Morem insuper a patribus per manus traditum accepisse sese, ubi Regni proferendi occasio se præbeat, fortiter, ac sedulo gerendi bella, non cunctandi, dubiarum rerum casus declinandi, pericula cum spe conferendi. Ita maximum inter mortales imperium sibi Otomanos comparasse; senum, urbanisque deliciis hærentium hominum corpora, ac consilia torpere. Decretum itaque bellum est; „ responsumque benigne legatis, rebus „ eorum omni ope Maometum affuturum „ esse „. Tum conditiones, quibus fœdus Turcas inter, ac Pannonos conveniret, in medium conferri cœptæ: disceptatum aliquandiu est, tandem ita compositum. Pannonis his conditionibus cum Rege Otomanorum amicitia, ac fœdus esto; „ Emeri- „ cus Techelius regiis insignibus a Maome- „ to donetur, decoreturque; validusque ei

 „ exer-

„ exercitus detur ad novum regnum adipi-
„ fcendum. Otomanici Regis in perpetuum
„ Pannoni vectigales funto; a quibus fex mil-
„ lia armatorum hominum fingulis bellis
„ Bizantium, five quo alio Otomani volent,
„ ex Pannonia mittantur. Pannonis fuis le-
„ gibus vivere; mortuoque Techelio alium
„ fibi Regem fui corporis creandi jus efto„.
Hæc pacta: tum dimiffi legati; promiffumque iis eft brevi Maximum Vifirum valido cum exercitu in Pannoniam venturum effe? Illi fpei pleni, dum domum revertuntur, in Albertum Capraram incidunt Cæfaris legatum, qui Bizantium iter fufceperat. Nudaverat enim Viennæ Turcarum, & Pannonorum confilia, bellumque fibi atrox in Regno Cæfar metuens, cui minime fe parem credebat, legationis Maometo mittendæ confilium cœperat. Albertum Capraram ei muneri obeundo delegerat, magnæ indolis virum: Donaque Maometo deportanda vehiculis impofita pro Romani Imperii magnificentia. Vana ea legatio fuit: fucceffumque ejus Albertus præcœpit animo, cum Budam pervenit. Ex colloquiis enim alienos a cogitatione pacis Turcas cognovit. Ubi Bizantium

tium contulit se, tum præoccupatos Divani Ministros, & omnia ad bellum disposita invenit. Benigne tamen exceptus est; & pro donis gratiæ actæ: præbitaque a parochis quæ usui legato necessaria erant. „ Mandata Mi„ nistris cum exposuisset, hortatus primo, ne „ pessimo exemplo publico juratas inducias „ rumperent, neu se, & sancitam amicitiæ „ fidem, neu populos Otomanos sacrilegio „ macularent: monebat deinde incertos belli „ casus esse: & nunc in potestate eorum pa„ cem, bellumque esse; sed ubi injustum „ paci bellum semel præferant, nullum post„ hac pœnitentiæ forsitan locum fore „. Surdis auribus dicta. Si aliquot Pannoniæ urbes Techelio cedere sibi Cæsar in animum inducat, de pace transigi posse. Hoc responsum. Ita infecta re, cum inter Barbaros jam bellum moventes pro sua dignitate legatus diutius morari non posset, Viennam est regressus.

Interea Leopoldus Cæsar, spe omni pacis incisa, in bellum sibi toto animo incumbendum duxit. Delectum militum jussit; edixitque, ut certa die in campis Posoniæ adessent, ut quantis opibus Romanum Impe-

 rium,

rium, Christianaque Religio defendenda esset suismet oculis ipse cognosceret. Quadraginta millia militum expleta, quibus Lotharingiæ Ducem Carolum sevirum suum præfecit, egregium ea tempestate Imperatorem, & simul corporis, animique virtutibus excellentem. Et quia cum prevalido opibus Imperio sibi bellum erat, Christianos alios populos in societatem adjungendos existimavit, ut æquis viribus decerni posset. Legationes itaque ad Innocentium XI. Pontificem Maximum, & ad Joannem Sarmatarum Regem missæ; ut communicata belli caussa, simul arma consociarent. Facile ab Innocentio impetratum: ejusdem deinde opera per Opicium Pallavicinum Pontificis legatum fœdus Cæsarem inter, & Sarmatas his conditionibus factum; „ ut communi
„ duorum populorum consilio res gereretur:
„ quadraginta armatorum millia Sarmata-
„ rum Rex ad Ucraniam, & Clepidavam
„ urbem recuperandas quamprimum scribe-
„ ret, educeretque; sexaginta millibus Cæ-
„ sar in Pannonia bellum administraret: ad-
„ jectumque diserte, quod si forte Vien-
„ nam, aut Cracoviam oppugnandam per-
„ ge-

„ geret hoſtis, tum junctis copiis auxilium „ obſeſſis ferretur „. Quod pro Religione ſua bellum ſuſcepiſſent, SACRUM id FŒDUS appellatum.

Dum hæc Viennæ, & Cracoviæ gerebantur, Maometus interea ex Bizantio moverat ſecutus a primoribus Imperii principibus, qui Reipublicæ in eo bello navare operam volebant. Poſteaquam Belgradum cum exercitu pervenit, patenti planicie inſtruxiſſe aciem ferunt; omnemque ibi exercitum perluſtraſſe oculis; robora hic Africæ, Aſiæque; mixtos plerumque ex vario remotiſſimorum populorum genere: ſagittis hi, haſtaque, & acinace aſſueti prælia inire. Et ex altera parte Traces, Græcique, & Macedones ſtabant, atque ex Arcipelagi inſulis adſciti milites aureis præfulgentes armis, acinace, ignitiſque balliſtis petere hoſtem ſoliti. Tum variarum gentium Reguli Vallacus, Moldavus, Tranſilvanus conſpiciebantur nobilibus inſidentes equis, & ſua quique agemata trahentes. Ducenta ferme millia militum fuiſſe quidam auctores tradunt, quos infinita ex omnium gentium colluvie multitudo ſequebatur lixarum, calorum, & qui volunta-

tarii ſpe prædæ ab domo profecti cum liberis amiciſque ad alienas occupandas urbes veniebant. Exercitu luſtrato, traditoque Maximo Viſiro a Rege ſacro ſui legumlatoris vexillo, ipſe Bizantium ad regiam rediit. Paucis poſt diebus cum multitudine illa copiarum Belgrado Viſirus eſt profectus; ad cujus adventus famam Carolus Lotharingiæ, qui Nahyhayſel urbem oppugnabat, retro caſtra movens Arabonem amnem cum exercitu trajecit, relicto Badiano cum ſex millibus Pannonorum ad pontis cuſtodiam. Arabonem primo urbem, cui ab amne nomen eſt, Maximus Viſirus oppugnare parat: at paucos poſt dies, quam oppugnatio cœpta eſt, mutata ſententia; ſtolidum Viennæ aggrediendæ conſilium init; „ nam magis op- „ portunam oppugnantibus fore, dicebat, „ ad commeatus comportandos in uberrima „ regione ſitam: &, non ante libatis viri- „ bus, magnam aliquam rem aggrediendam „ eſſe. Inopinato adventu ſuo interiora Au- „ ſtriæ pavore, ac tumultu completurum: „ idque magnum certe momentum laturum „ ad proſperum belli eventum „. Huic temerario conſilio plerique palam adverſabantur,

tur, & maxime Ibraimus Budæ præfectus (fevir is Regis erat) non militarem modo artem callens, fed rebus geftis inter fuos clarus. „ Suadebat is, ut in infequentem an„ num Viennæ oppugnationem differret, cum „ Arabone, aliifque circa urbibus expugna„ tis, nullus a tergo hoftis effet: fruftra nunc „ ad Viennam imperii vires confumturum, „ robur Auftriæ, Germaniæque militum in „ ea urbe inventurum, cum integris, nulla„ que ante clade animo fractis pugnaturum „ effe. Et pro aris, & focis dimicantes, & „ in ea urbe, in qua imperii, & religionis „ fuæ fpem omnem collocaffent, quid non „ aufuros? quid non pafluros pro fua liber„ tate Germanos, milites duratos bellis, & „ timorem inexpertos? Minoribus primo, „ & facilioribus incœptis ferie rerum ad ma„ jora fibi viam faceret: tum velut victo„ riæ cumulum Viennam petendam effe „. Haud multum hæc dicta profuere; obftinatufque in capta femel fententia Maximus Vifirus obfidionem folvit, atque eo, ubi Badianus pontem cuftodiebat, cum exercitu venit. Tentata Pannoni fide a Barbaris; feu quod ille Cæfari amicitiam fimulaverat, feu quod

quod ſpes animo objecta labefactavit fidem, non modo non oppoſuit hoſti creditas ſibi vires, ſed ultro loco cedens trajiciendi amnis Otomano copiam fecit: ſuam quoque Pannonorum cum Barbaris legionem conjunxit. Arabonem tranſgreſſi Barbari Pannoniam omnem, Moraviam, & confines Auſtriæ agros inundavere, & a Tauris præda ingens hominum, pecorumque abacta. Senſit fraudem Lotharingiæ Regulus, & adventum Otomanorum: itaque ne numero opprimeretur a Barbaris, Leopoldſtat urbem, quæ ab Iſtro amne inſulæ modo cingitur, cum equitatu ceſſit. Prævenire tamen hoſtium impetum non potuit, qui poſtremum agmen aggreſſi ad quingentos equites occiderunt. Et primo quidem omnis turbata acies erat, inclinabatque in fugam; adhortationibus deinde, & ducis exemplo, qui equo prætervectus ante prima ſigna ſe objecit hoſti, pugnam reſtituerunt, mox etiam pepulerunt Turcas. Eodem tempore Viennam nuntiatum eſt, exercitum Barbarorum aduentare: & ex incendiis villarum, fugaque agreſtium omnia pavore, & tumultu implebantur. Nihil tamen a militibus, qui ibi præſidio erant, aut a ci-

civibus trepidatum eſt. „ Urbem caput Im„ perii, & Chriſtianæ Religionis arcem cor„ poribus ſuis protegere paratos eſſe: ſi vul„ nera accipienda eſſent, libenter acceptu„ ros; ſi fato cedendum, nulla unquam „ honeſtiori ſe morte occumbere poſſe, aje„ bant, civilibus, & Chriſtianis muneribus „ defunctos. „ Et auxit iis animos Jacobus Lesle, qui quatuordecim peditum millia Cæſariani exercitus in urbem intromiſit paucis poſt diebus, quam Leopoldus Cæſar ex ea profectus, Lentiam in ſuperiorem Auſtriam contenderat maximis, & occultis itineribus, ne inſidiis, quas necti fama erat, exciperetur. Poſtquam ad urbem acceſſere Barbari, quia multitudine abundabant, operibus circum ſepire mœnia ab aliqua parte prætermiſerunt. Turres duas Vienna habebat (Corte, & Lowel appellabant). Adverſus eas majora Turcæ tormenta ad muros diruendos diſponunt; & cuniculis interim viam ſibi introrſus facere inſtituunt. Principio oppugnationis, ſeu caſu aliquo, ſive conjuratorum Pannonorum dolo malo id factum eſt, Xenobium S. Benedicti, quod in urbe eſt, magno incendio conflagravit; periculumque fuit,

fuit, ne continens illi quoddam horreum, in quo ſulphureus pulvis aſſervabatur, vorax flamma attingeret, vagatoque inſuper incendio magna pars urbis cum domorum, hominumque ſtrage abſumeretur. Opera, diligentiaque civium extincta flamma eſt: curaque deinde ab Erneſto Starembergo urbis Præfecto Tribunis militum data, ut non die non nocte cuſtodia urbis intermiſſa, a fraude caveretur. Et ſimul trepidationis inter obſeſſos augendæ tentatum ſcalis præſidium ab Otomanis eſt, cuniculis duobus igne admoto. Magno cum aeris fragore aliquantum muri diſcuſſum eſt; ſed ab omni parte nitentes in arduum detruſi hoſtes, quorum pleroſque ferrum, ignita pleroſque miſſilia interfecerunt. Tum cuniculi inſtaurati, & majoribus tormentis icti aggeres ab oppugnatore hoſte: ſed parum proficiebant, & civibus non ad defenſionem modo ſufficiebat animus, ſed etiam ad irrumpendum in ſtationes Turcarum, quibus præliis ſæpius multo plures Otomanorum, quam Cæſariani cadebant.

At in urbe, dum obſidio toleratur, apertis interea templis omnibus, publicæ obſecra-

crationes, facro præeunte Antiftite, fupplicationefque, & facrificia fiebant; quæ Chriftiani piacula æterni Numinis placandi credimus effe. Multitudo ergo omnis, præcipue militaris ætas, quæ periculo propior erat, nullo ordinum discrimine, vel dignitatis, certis horis templis evocati, venerabundi ingrediebantur, pacem Dei, veniamque, & victoriam exposcentes. Et casta matrimonia, puræque virgines seorsim a virorum cœtu non religiofe minus sacris intererant; nunc ftratæ crinibus limina verrentes, nunc verfæ in preces Chriftum legislatorem fuum, Matremque ejus Virginem virgines ipfæ cum lacrymis agebant ut belli peftem, perniciemque ex Viennæ mœnibus in Barbaros, & obfeffores averterent, fi Chriftiana pubes pie eos coleret, fi nefandos ritus abhorrerent. Et fimul ad oppugnationem conftanter fuftinendam verfa omnium cura eft. Certe turris intentiori opere oppugnabatur, præfertim acclive foffæ munimen, quod multo quamvis fuorum fanguine, Barbari tamen occupaverunt. Nam in foffam defcenfum eft, cuniculifque aliquot perfectis, cum pars aggeris procidiffet, fcan-

ſcandere turrim hoſtes ſunt annifi. Sed ubi plurimum periculi oſtendebatur, ibi majori vi Cæſariani obſiſtebant: cœſi ita, dejectique Barbari vallum trepidi repetierunt. Et ſimul a delectis peditum Turcarum cohortibus (Giannizzari vocantur) Lowel tentata eſt, quaſſata jam, dirutaque magna turris ejus parte. Diu anceps ibi prælium fuit, inter muri ruinas conſerentibus manus, Barbaris indignitate accenſis, quod certam ſibi victoriam oppidani interpellarent: annitentibus his, ne ſe vivis, & quoad ſanguinis aliquid ſupereſſet urbs caperetur: tandem magna utrinque ſtrage facta repulſi Otomani ſunt. Tum longæ hi victi tædio obſidionis temerarium Viſiri conſilium palam carpere, qui vano in incœptu exercitum conficeret: ingerebanturque probra Emerico Techelio, qui facilem, aſſentando, ejus expugnationis ſpem Viſiro feciſſet: & eodem tempore in caſtris nuntiatum eſt, frumentarios ſuos, qui commeatus exercitui in caſtra portabant inſidiis exceptos a Germanis, atque ad unum cœſos eſſe. Tum juxta ſeditionem ventum eſt. Sed Viſirus nunc precibus, nunc ſpe prædæ adhortabatur, ut inchoa-

inchoatam rem perducerent ad exitum : „ respicerent suas ipsi vires , multitudinem „ auxiliorum , paucitatem , infirmitatemque „ hostium , tot præliis diminutos est , ad „ paucos jam redactos esse : nullam inexu- „ perabilem armato militi arcem esse : com- „ meatus sibi socias urbes quotidie præbere, „ & novis semper delectibus firmare exer- „ citum , oppidanos auxiliis, commeatibusque „ prohibitos in exigua , vanaque spe obsi- „ dionem sustinere : quo difficiliorem expu- „ gnationem , eo lætiorem victoriam fore . „ His moti adhortationibus milites sunt : cum autem magna pars turris Corte perpetuis tormentorum istibus subruisset , ad subeundas muri ruinas eos Visirus accendit . Sed vanus quoque , atque irritus ille conatus fuit . Multitudo namque Oppidanorum , cum ex omnibus locis eo concurrisset ; tormentis, ballistisque & lapidibus in præceps detulerunt hostes : novus deinde murus a civibus ductus , qua patefacta ruinis in urbem via erat . Sed victores quamvis , fessi tamen , ac prope subacti non intermisso labore , erant : & vix operibus sufficiebant , dum alii cuniculis hostium excipiendis intenti essent , alii mu-

muros defenderent, multos vulnera, aut mors præliis, & labori ſubtraheret. Et ad mala hæc degravanda morbus acceſſit late in urbe per libera capita vagatus: ſpe tamen auxiliorum, quæ parare Cæſarem ſciebant, obſidionem tolerabant. Capta interim pars Lowel arcis eſt a Barbaris paucos poſt dies; præliumque ibi maxime omnium memorabile fuit. Multa namque millia Barbarorum duces ſuos ſecuti, neganteſque ſeſe inde in caſtra redituros, niſi occupaſſent arcem, ultimis conniſi viribus, nequicquam repugnantibus Cæſarianis, in murum evaſerunt; & aliquod ibi ſigna conſtituerunt. Tunc amiſſa recuperare Oppidani, & depellere obſtinati Turcas in multas diei horas certamen extraxerunt: tandem prægravante hoſtium multitudine, cum novæ ſemper cohortes ſummitterentur e caſtris, arcis partem obtinuerunt. Tenet fama Viſiri avaritiem tum impedimento fuiſſe, ne urbs caperetur, quam ſi integris, quibus abundabat, militibns novo prælio tentaſſet, ſatis conſtat levi momento occupaturum fuiſſe. Sed cogitatio ſubibat animum, tot ſæculorum cumulatas in ea urbe divitias militi prædam fore; ni in volun-

luntariam deditionem concessisset. Hæc Barbari cunctatio pulcherrimæ urbi maxime saluti fuit: negata deinde a fortuna tantæ urbis possessio est: adventantibus namque magna mole Austriacis ad ferendum Viennæ auxilium, inexpectatus eorum adventus turbavit Otomanos, atque ad arcendam exteriorem vim convertit.

Dum Vienna oppugnabatur, Leopoldi interea legati Germaniæ urbes circumierant; imminensque commune periculum, & belli clades commemorando, pollicitationibus insuper, precibusque non destiterant movere animos Principum, ut Viennæ auxilium ferrent. „ Non ad unius expugna-„ tionem urbis sedibus suis excitos ab ulti-„ mis Græciæ, Asiæque Barbaros illuc ve-„ nisse; sed caput imperii tentasse primum, „ ut faciliorem sibi spem facerent ad provin-„ ciam subjiciendam. Miserabili Viennæ in-„ cendio unamquamque Germaniæ conflagra-„ re urbem; necessitatemque secuturam eos in „ sua terra, & intra civitatum suarum mœnia „ pugnandi, si foras hostibus bellum ferre „ recusarent „. Facile id multis persuasum. Et simul a Joanne Sarmatarum Rege debit

tos ex fœdere milites petiit, & aliquot ipse in Austria legiones conscripsit. Joannes ut inviolatum præstaret fœdus, cum delectis Regni legionibus profectus, jussoque equitatu sequi, Krembem in Austriam venit: eo quoque & contracta ex Germaniæ Principibus auxilia convenerant, & ex Vandelicia octo millia fortissimorum hominum, qui Massimilianum Regulum suum ducem sequebantur. Erant insuper & voluntarii plærique juvenes, nobilissimus quisque Germanicæ, Italæque flos gentis, inter quos Eugenius Sabaudiæ fatalis dux hujusce belli, & tunc supra septem, & decem annos natus. Tuln primo urbem, trajecto pontibus Istro amne, cum pervenissent, ibi exercitum lustravere. Summa totius septuaginta quinque millia hominum fuere. Cum hoc prævalido viribus, & virtute exercitu profecti Christiani Principes secundo Nonas Septembris ad Kalemberg montem pervenerunt. Distat is sex millia passus ab urbe. Edita duo juga habet, quæ vallis quædam interjacet, Castellumque, cui S. Leopoldi dixere nomen, in proximiori Viennæ jugo constructum est: in altero, quod ad meridiem vergit, Xe-

no-

nobium Monacorum S.Romualdi conspicitur: utrumque occupaverant Otomani. Ad ea capienda voluntarii trecenti mittuntur, quos ex nostra Brutiorum provincia fuisse fama tradita res est; homines patria extorres, exilio plerosque a Prætoribus multatos, vel capitalem fraudem ausos, contractosque ad id bellum gloriæ, prædæque cupiditate. Castellum obtinuerunt primo; cumque ad Xenobium capiendum ire pergerent, cohortes aliquot Barbarorum in montis faucem sese insinuantes conspexerunt: tum descensum in vallem est: & inter obsita arboribus, virgultisque loca prælium conferebant. Densa dumis silva, ne parva Brutiorum manus noscitaretur effecit: ita dum hi haud æquiquam pugnam sustinent, subire montem exercitus cœpit. Sinistrum cornu Lotharingiæ Dux habebat, dextrum Joannes Rex, mediam aciem Dux Bavariæ. Iniquius ascensus erat: iniquiorem Turcæ intercursu suo effecerant, sed nihil impervium, aut inexuperabile Christiano militi fuit: & ubi plus loci situ confisi Barbari deturbare Germanos conabantur, ibi majorem Cæsariani impetum dabant. Pulsis undique hostibus, hora diei

tertia cacumen tenuerunt; paullumque ibi morati, dum tormentis deportandis tempus teritur: tum defcendere in planiciem, & majoribus tormentis fummovere a collibus Otomanos, & denfiori acie incedere milites.

In caftris interim Otomanorum Maximus imperii Vifirus, & exercitus tribuni ancipiti fluctuabant animo. Erant qui montis viam arborum ftrage impediendam hoftibus cenfuerant, & foffas ducendas, munitoque vallo caftra cingenda in planicie; & Viennæ præfidium majori conatu tentandum, ut in confpectu hoftium civitas expugnaretur. Maximus Vifirus, qui ftolide primo hæc confilia abjecerat; pofteaquam fuos pulfos effe, & montem afcendere hoftem audivit, confufus animo, milites caftris educere maxima cum feftinatione cœpit. Et Ibraimus Budæ præfectus, ut omnibus copiis Chriftianos adoriretur, fuadebat, foluta urbis obfidione; ne, diftractis viribus, minori cum fpe pugnaturi effent. Enimvero etiam nunc ille multitudinem fibi fufficere ad Chriftianos arcendos, nec remittendam obfidionem putabat. Itaque viginti

ginti millia Otomanorum in ſtationibus ſuis circa Viennam reliquit, ipſe cum reliquis ad prælium vadit. Ita exercitus diviſus eſt. Ibraimo primum agmen datum, poſtremum ipſe ſibi Viſirus delegit: dexro cornu, quod cum Cæſarianis pugnaturum erat, Aleppi Præfectum impoſuit, ſiniſtro Præfectum Siliſtriæ adverſus Sarmatas. Primi in planiciem Cæſariani deſcenderunt, ubi inſtructam invenere Barbarorum aciem non numero tantum validam, ſed delecto ex omnibus populis robore juventutis: & ſimul ab equite, ſimul pedite atrox utrinque cœptum prælium eſt. Hic ut fortiſſimus quiſque miles erat, ita pertinaciſſime pugnabant. Verſi omnes in hoſtem, cominus manus conſerentes, ſubjectique invicem ad omnes ictus multi ex utraque parte cadebant. Inter ipſum pugnæ tempus majora aliquot tormenta ſupra montem Cæſariani collocaverant, quibus Turcas feriebant, arcebantque a jugorum radicibus, donec medium Vandeliciorum agmen, quod in vallem Regulus eorum induxerat, in planiciem ad pugnam erupit: ibi quoque multa virtutis facinora a Germanis edita; & in dextro cornu Sarmatæ Barbarorum

multitudinem celſi, erecti ſuſtinebant: & obnixi Otomani ſtabant: nec militum minus, quam Imperatorum conſpiciebatur virtus, utrinque exercitibus aut ſpem, aut metum non ex vano habentibus, cum a parte Iſtri amnis aliquot cohortes Barbarorum eruperunt, ut latere aperto hoſtem aggrederentur. Senſit novam vim Lotharingiæ Dux; ut conatum itaque Otomanorum eluderet, cum delectis equitum turmis eo venit, qui ſtrenue ſeſe in Turcas invexerunt. Non tulerunt hi impetum equorum; & ibi victoria cœpta eſt, ubi primum pugna fuit. At in dextro cornu Otomani rem quadam vice penſabant; nam Sarmatas diuturnitate certaminis feſſos multitudine ſua urgente premebant, & illi ſimul ab latere majoribus icti tormentis conſtantes quamvis, imparem tamen pugnam tolerabant. Ibi a Carolo Duce, & a Cæſarianis legionibus, quæ, pulſis hoſtibus, prælio jam defunctæ erant, ſubventum iis eſt; & verſum illuc omne Chriſtianum robur. Tum Sarmatæ confirmare animos, & inexuperabilis Otomano Chriſtianorum vis eſſe, tunc pelli undequaque, tum cædi Barbarus; donec in effuſam ſeſe fugam proripuerunt: fu-

fugientes passim per agros, dissipatosque obtrivit eques. Major pars Barbarorum ad Arabonem amnem profugit; quo Maximus Visirus receperat se: cui trasgresso amnem tum primum lacrymas obortas tradunt; & cum crebro suspirio non imperii modo jacturas deplorasse, sed suam etiam vicem.

Post victoriam tam insignem, atque ex omni parte honestam in castra Otomanorum vacua ingressi Christiani sunt. Omnis ibi generis tormenta, machinasque bellicas, quibus urbes oppugnari solent, victores invenerunt: & in castris, & in acie præda ingens fuit: auri, argentique facti & infecti magnus numerus: tentorium Visiri a Rege captum, in quo infinita pecuniæ, aliæque prætiosæ suppellectilis vis inventa: quæ omnia Regi velut laboris, & periculi merces fuere. At in auxiliis, & Pannonis militibus aliquanto avidior prædæ cupiditas fuit, qui si fugientes hostes, neque ex tanto pavore recipientes se instituissent sequi, debellari potuisset. Vix se ab oppugnatione liberatos Viennæ cives senserunt esse, cum velut ab repentino gaudio stupentes per urbem primo discurrere, & lætis clamoribus complere

vias, effusi deinde portis in castra victorem exercitum adire, servatores suos appellantes, libertatisque assertores, & prehensare illos, & invitare ad tecta, ut fessa, saucia corpora curarent. Multitudo major, nobilium præsertim, principumque civitatis ad Regem Sarmatam visendum confluebat; illumque adeuntes, & contingentes dexteram maximis laudibus, & non immeritis onerabant: & Regis virtutem Carolum Imperatorem suum æquasse memorabant, hunc propugnaculum, telum illum Christianæ Reipublicæ, & duo belli fulmina, & fatales adversus populum Otomanum duces. Victoriæ deinde nuntii ad Leopoldum in Austriam venerunt. Recitatis Caroli Lotharingiæ literis, quæ rem ad Viennam gestam significabant, ipse regia navi Istro amne vectus Viennam pervenit. Ibi lætior adventus ejus fuit, præoccupatis gaudio animis. Templum primo, vetera Austriacorum exempla imitatus, venerabundus init, debitum pro victoria D. O. M. honorem habiturus: eo supplex, postquam dona ex spoliis hostium reportavit, votum persolvisse dicitur. Virginis deinde, quæ sine labe concepta rite creditur, cellam est ingres-

greſſus: ibique cœleſtis Reginæ majeſtatem veneratus, ſuo profitetur patrocinio pacem ſe, & imperium retinuiſſe, ſimul precatur, ut volens propitia Chriſtianorum poſthac faveat inceptis, Germanam pubem, Auſtriacam ſoſpitet progeniem. Tertio die urbe egreſſus in caſtra ad Regem Sarmatarum venit: ibique inter Reges, inter exercitus duces, & Cæſaris miniſtros ſalutationem factam tradunt: & cum alter alteri victoriam gratularetur, ſervatæ Viennæ decus Regi maxime tribuebant.

Tunc de continuando bello conſultatum eſt. Nehayſelis urbis oppugnationem quamprimum fieri volebat Lotharingiæ Dux; ſed opportunius viſum eſt Strigonio inferre arma, urbem in interioribus provinciæ ſitam, quæ faciliorem civitatum aliarum Viennæ viciniorum expugnationem faceret. Addebat ad eam rem conandam animos, quod nova pugna victi Barbari; (quinque millia erant) cœſique ad internecionem omnes, ne nuntio quidem cladis relicto. Ponte ad Poſoniam perfecto, trajectoque Iſtro amne Rex cum ſuæ gentis equitatu præceſſit: cum haud procul Strigonio cohortes aliquot Barbarorum obviam

obviam veniſſent, parva primo prælia utrinque facta; univerſæ deinde pugnæ caſum iniere. Superiores in ea apparuere Barbari, qui poſtquam intulerunt ſeſe ferociter in Sarmatas, pepulerunt aliquanto aciem: circumventuſque fortuito concurſu Turcarum Joannis filius, vivus captus eſſet, ni Pater opportuno interventu ſuo periculum propulſaſſet. Cum ſenſim, non effuſe Sarmatæ cederent, Barbarorum equitum ala (ſeptem millia erant) ex vicina ſilva in eos prorupit. Impigre, celſoque animo novum illum impetum excepit Rex: ſed aucti animis hoſtes ex primæ fortuna pugnæ, renovato impetu, aciem Sarmatarum averterunt; dediſſentque deinde haud dubie fœdam ſtragem, ni Cæſariani prælio interveniſſent: tum verſus in victores terror: coactique fugam capeſſere per vicinas ſilvas ſeſe diſſipaverunt. Sed integratum paucis poſt diebus prælium eſt, nova ſobole Otomanorum ex vicinis civitatibus concitata ad bellum: juſtoque exercitu facto, Octomani priuſquam ad Strigonium oppugnandum iret hoſtis, magna cum ſui fiducia Regi, & Carolo occurrerunt. Pertinacius, quam ante, extractum in multas diei horas cer-

certamen eſt, neutro inclinante victoria, cum pelli Sarmatæ, & diſſipari agmen eorum viſum. Tum ab lœvo cornu Carolus delectas Germanorum cohortes feroci hoſti oppoſuit. Hic Germanus ſtatarius miles vi ſua, & gloriæ deſiderio accenſus urgebat hoſtem. Ita, reſtituta pugna, Cæſariani ſimul, ac Sarmatæ feſſum diuturno certamine Turcam loco ſummovent, ſparſumque mox agmen eorum juſta cæde conficiunt. Ad quinque millia eorum ſunt interfecti; cæteri fuga diſſipati in vicinas urbes diffugerunt. Major Barbarorum numerus Parkan contulit ſe: dum vero pontem, quo Strigonio Parkan jungitur, feſtinant tranſire, multitudine degravante pons rumpitur, multoſque inde mortales mediis gurgitibus deſtituit. Secundum eam victoriam Strigonium Chriſtiani petunt, urbemque operibus oppugnare inſtituunt. In quatuor oppidum partes dividitur, quas omnes Iſter amnis interfluit: tres citra flumen, quarta, quæ Parkan vocatur, ultra amnem in ſuperiori provinciæ plaga ſita eſt. Adverſus eam urbis partem, quod promptior oppugnantibus viſa eſt, tormenta ſunt admota. At oppidani vano terrore corre-

repti, priusquam muri ferirentur, in voluntariam deditionem venere. Tum in Strigonium versa oppugnatio est; oppidumque trifariam aggressi hostes, dimissusque cum parte copiarum Fredericus Scaffembergus ad arcendos ex vicino agro Turcas, facile profligavit. Et altera die, quam oppugnatio cœpta est, ad fossam obsessores pervenerunt: tum suis diffisi rebus, qui præsidio urbi erant milites, vacuam fuga Austriacis reliquerunt. Et hibernorum tempus appetebat; dividi ergo per vicina oppida Christianæ legiones; & Joannes in Sarmatiam regrediens, priusquam fines ingrederetur, Retzin urbem improviso adortus primo impetu cœpit: & Scytarum principio hyemis provinciam omni belli clade pervastavere Sarmatæ, ut nihil intactum ferro flammaque relinquerent: in regnum deinde legiones traductæ.

Sub exitum hujus anni legati Cæsaris, qui Venetias missi erant, fœdus in Senatu cum Patribus Venetorum instituere, quo communicato belli consilio, Cæsari, Sarmatisque adversus Otomanos arma Veneti conjunxerunt. Jam inde ab initio suscepti belli

li adhortatus eos Cæſar erat, ut Græciam pro ſua parte invaderent: ſed recentibus tot cladibus afflicta Reſpublica bellum cum prævalido viribus hoſte horrebat. Commemorabant in Senatu plerique „ nunquam ſine „ imperii jactura cum Otomanis bellatum: „ fatalem Reipublicæ hoſtem Turcam eſſe: „ Peloponneſo Cypro, Cretaque, aliiſque tot „ inſulis, atque urbibus amiſſis, quid ſibi „ extra Italiam de veteri ditione relictum? „ Affectum tot cladibus Reipublicæ corpus „ eſſe; nec ſupereſſe locum ad nova vulnera „ accipienda: num arceſſendos in Italiam „ novo bello Otomanos? „ Hæc paſſim jactata ſermonibus non in Senatu magis, quam inter plebem. Cum vero tantarum fama victoriarum in Italiam pervaſit; tum veluti excitatos animos ſpe nova quadam erexit. Nec minus Venetorum Senatum ad fœdus cum Cæſare ineundum adhortationibus ſuis impellebat Innocentius XI. Pontifex Maximus; monebatque ut oblatam occaſionem arriperet imperii ultra Italiam proferendi. „ Si Cæſaris armis ceſſiſſet hoſtis, „ quid non ſperare liceret tantarum opum „ acceſſione? cum Otomanorum vires ægre

„ per

„ per ſe in Pannonia ſuſtinentes bellum, ad „ Græciam, & mare tuendum neceſſario „ dividerentur; Accendebat etiam ſpe auxiliorum: pecunia, navibus, militibus „ adjuturum eos, & in parte impenſarum, „ ac periculi fere „. His ſubditis opportune ſtimulis, diu tamen agitata res in Senatu eſt. Diſſuadebant bellum Michael Foſcarinus, & Aſcanius Juſtinianus; ut fœdus fieret Fredericus Marcellus, & Petrus Valierus omni ope tendebant: „ memorabantque nec „ ſecuram cum Barbaris pacem eſſe, & „ mox bellum futurum, ſi ex Auſtriacis „ victoriam retuliſſent „. Adjiciebant ſub infida ſpecie pacis agrum in Dalmatia ademptum, & Africanos piratas contra jus fœderis apud Regem Otomanorum impunitos fuiſſe. Non inferam hic fabricatis allocutionibus ſimulacra Virorum ſimul eloquentum, ſimul in conſiliis prudentiſſimorum. Extant orationes eorum apud Michaelem Foſcarinum, & Petrum Garzonem libro I. incluſæ. Conſenſit Senatus bellum, denuntiatumque Regi Byzantii eſt, pro Venetorum Reipublicæ dignitate. Hæc eo anno geſta.

HI.

HISTORIÆ

SACRI FŒDERIS

LIBER II.

Post consultationem de Otomanico bello Venetiis in Senatu habitam, censuere Patres, ut Episcopi edicto ad urbis templa populus supplicatum iret, & Pontifices rem divinam facerent cum precatione ea, quam rem Senatus populi Venetorum de sua Republica, deque bello Otomanis inferendo censuisset, uti ea res Senatui, populoque Venetorum bene, ac feliciter eveniret. Tum de exercitu, & classe, quibus hostium fines invaderentur, consuluerunt. Auspicio, ductuque Francisci Morosini bellum geri placuit: & novæ naves veteribus in supplementum adjectæ, & navales socii civitatibus imperati. Antequam vero ex Italia classis 1684.
solveret, jam in Liburnia consurrexisse ad arma Morlachiæ populos allatum est, qui

li-

libertatis, prædæque ſpe ab Otomanis rebellaverunt: & legati ab iis ad Præfectum provinciæ Donatum miſſi, petitum ab eo auxilia, ut in belli ſocietatem admitterentur. Præfectus Venetæ provinciæ in omnem occaſionem intentus Reipublicæ feliciter adminiſtrandæ benigne eos allocutus opem eſt pollicitus; poſtquam commiſſum bellum audivit, tum in Senatus tutelam Morlacos accepit, præſidiaque per civitates aliquot, quas ipſi tradiderunt, diſpoſuit; armiſque, & pecunia, ac nonnullis Italicis cohortibus tumultuariam, nec juſto aſſuetam bello gentem firmavit. Ac veluti totius rei principio belli exitus portenderetur, tres piraticæ Turcarum naves cum pari numero Venetarum, quæ claſſem præceſſerant, certamen inierunt. Et primo ferocibus utrinque animis, dum ſuis quiſque viribus confidit, dimicatum eſt; poſteaquam pertinacior eſſe pugna cœpit, tum remittere Otomani, ac trepidare, & Veneti ſuperiores eſſe cœperunt. Navis una qua maxima potuit celeritate in fugam ſe avertit; ex duabus alteram indipiſcuntur Veneti, alteram demergunt. Fugatis interim adventu Chriſtianæ

ftianæ claffis ex omni prorfus Adriatico finu piratis, Leucadem urbem, quæ in Neritia infula eft, oppugnatum pergunt: nec abfimili ibi modo res gerebatur: nam etfi primis diebus opera Venetorum Otomani turbaverant, non iifdem deinde animis tolerabant bellum. Strafoldo duce, qui & operum Præfectus erat, cum dejectus magna ex parte murus effet, fcalis admotis, ruinas Chriftiani fcandunt. Obftant ferociter oppidani, ftragemque eorum edunt, qui primi pugnam cœperant: cum vero intoleranda vis hoftium intulit fe, tum pulfi, cæfique funt, atque in urbem Veneti evaferunt. Urbe capta, cæde fuperfeffum eft, & in fervitutem redacta fexcenta hominum capita. Pulfis ex ea ftatione piratis, qui mare infeftum antea fecerant, cum XL navium claffe ab infula profecti Veneti ad Nicopolim egrediuntur: tormentifque in terram delatis eam protinus oppugnare inftituunt. Omnia profpere fucceflerunt cœptis: nec præfidium Barbarorum novis aliquot cohortibus firmatum tutari fe ab exteriori potuit hofte: ita ne ultimam vim experirentur, cum urbe fimul dediderunt fefe. In poteftatem victorum fexcenti

mortales venerunt, oppidumque satis munitum, & fuit prædæ aliquantum. Sub idem tempus Mussay Præfectus regiæ classis ex Byzantio solverat, ratus Africanarum navium, quas expectabat, auxilio facile resisti Christianis posse. Antequam vero sociæ appropinquarent naves, nihil tentare ausus, cum insuper scisset Franciscum Molinum ad ipsos opprimendos cum parte copiarum a Morosino missum esse, Naupliam in Peloponnesum contulit se, subductis ex classe triremibus, quas ad Scium Insulam, jussit trajicere. Molinus frustra Regium Præfectum persecutus, naves aliquot prædonum indeptus Scium navigavit, si forte elicere hostem ad pugnam posset. Enimvero illi suo magis periculo moti, quam Venetorum audacia, pugnam detrectavere. Sub hæc, descensione Christianorum facta in insulas Arcipelagi, magnam ex hostibus prædam averterunt; stipendiumque iis imperatum; in Macedoniam deinde in hiberna concessere.

Dum in Græcia bellum gerebatur, in Sarmatia interim, ut gentis ejus mos est, per multas, variasque, & inexplicabiles consulta-

tationes belli tempus extractum est, & ad Sextilis nonas expeditiones militum sunt dilatæ. Adhortationibus, consiliisque Joannis Regis, qui magnum pecuniæ numerum in stipendia militum de privato contulit ærario, XL millia hominum sunt conscripta; duplicatisque fere viribus adventu voluntariorum, Cracovia cum exercitu Rex ipse est profectus, Budziac primo urbem in Podoliam pervenerunt; atque inde Neister amnem intendunt trajicere. Ad eum custodiendum adversus Barbarorum excursiones Zavaliekz urbem in citeriore fluminis ripa, Coczim in ulteriore Rex occupat expugnare. Utramque prima militum ferocia aggressus levi momento cepit. Nec aliud memorabile eo anno actum. Sed Tauri spe trajiciendi fluminis amissa, ab ea parte, qua oppositus Sarmatarum exercitus erat, cum nusquam vado transitus esset, nando transgrediuntur. Rem dictu mirabilem! qua & hostium admirationem in se converterunt, & illi tantam ausi rem obequitando Christianorum stationibus, circumveniendoque quos extra vallum provectos passim inveniebant, magnum Sarmatis terrorem injecerunt. Morbus denique ca-

ſtra invaſit, quo multi mortales abſumebantur. Ea demum neceſſitate coactus Rex, retro caſtra movens, haud multum expeditione illa lætus, vexatuſque in itinere a Tauris, Cracoviam ſe cum exercitu reduxit.

In Pannonia eadem prope fortuna geſtum hoc anno bellum eſt: ſed priuſquam exercitus ex hibernis in expeditionem ducerentur; magnos Byzantii motus extitiſſe allatum fama erat, commotis Otomanorum animis inexpectato illo armorum ſuorum eventu, & aliis ſuper alias cladibus afflictis. Et decidiſſe ſe ex antiquo favore populorum probe intelligebat Rex; poſteaquam nimis præcipitem ad injuſtum bellum crediderant fuiſſe. Maximus quoque Viſirus, qui atrocem ſibi tempeſtatem ſubeundam ſciebat eſſe, quonam modo ſeceſſionem militum, ſeditioſaſque Pontificum conciones, & periculoſos vulgi rumores declinare poſſet, volutabat animo. In hac animi ſui perturbatione ex timore in cædem ſuorum verſus pleroſque militum Tribunos, nobiles viros factis, & dignitatibus illuſtres, ne ſuæ apud Regem, & vulgum ſtultitiæ teſtes eſſent, ferro peremit. Movit maxime indignationem omnium

mors

mors Ibraimi Budæ Præfecti longe clarissimi viri, & qui Sevir Regis erat, & cujus consilio in illa quoque jactatione Reipublicæ stare posse imperium non diffidebant. Budæ interim ille sedebat reliquias tanti exercitus velut ex naufragio colligens, illigatusque amore viduæ uxoris Ibraimi seria ludicris miscebat: nec satis fortunæ suæ certo communis, & antiqua Visirorum sors quotidie obversabatur animo. Itaque cum aliquot eo vitæ tenore menses extraxisset, jussu Regis interfectus est.

Leopoldus interea Cæsar Budam oppugnandi consilium iniit: divisoque trifariam exercitu, cum parte copiarum Jacobus Lesle in superiorem provinciam est missus; inferioris Pannoniæ sors Æneæ Capraræ evenit; longe validissimum exercitum Carolus Lotharingiæ ex Austria in Regnum introduxit. Consilium erat per speciem Nayhayselis oppugnandæ Turcam decipere; ne Budam majorum militum numerum immitteret, opprimerentque ita Barbaros nil contra molientes. Arcessitis cohortibus plerisque veteranorum militum prope Nayhayselem, nulli dubium fuit, quin eam obsessuri urbem Germani essent. 1683.

Onerariis interim navibus plerisque commeatus Strigonium subvehebantur: & cum transitus inde ad Budam Vicegradus impediret oppidum eidem amni incumbens, arce satis munita, obesisque & prœaltis rupibus aditum claudentibus; rebus omnibus expugnationem ejus arcis Carolus prævertit. Trajecto ad Strigonium amne, Vicegradum Christiani petunt, atque inde urbem circumsistunt. Facile mœnibus nudatam, & pro mœnibus in circuitu cervis munitam expugnaverunt. Ubi arx tentata est, pepulere scandentem hostem Oppidani; diuque ibi exercitus consedisset, ni Germani collem quemdam urbi oppositum occupassent, ex quo majoribus tormentis, ballistisque, velut nimbum, ignitas glandes in hostes ingerebant. Eo territi periculo cives in voluntariam deditionem concesserunt.

Inter hæc Budam ab Christiano transfuga nuntiatum est, præparare omnia Lotharingiæ Ducem ad regiæ urbis obsidionem exequendam; & Strigonii relicta impedimenta esse, ut expeditiorem exercitum haberet. Otomanus Imperator, ut improvisus deprehenderet hostes, quinque millia Turcarum, Scithis

this plerisque admixtis, pergere Strigonium jubet, concubiaque nocte legionem Austriacorum, quæ ibi impedimenta custodiebat, incautam, nec opinantem opprimere. Spes eum decepit: conspectum namque a vigile agmen Turcarum est, signumque suis datum, quo excitati milites ad spem pugnæ pro se quisque certamen poscebant. Ab legionis ejus Tribuno Vatteville Norkerme missus est cum delectis cohortibus, ut venienti occurreret hosti; mox ipse Tribunus, paucis in stationibus rellctis, cum reliquis ad pugnam processit. Aliquantum viæ Norkerme jam præceperat: ita, priusquam in unum coalescerent corpus, divisos, nec satis ad certamen pares Turcæ eos sunt adorti. Tribunus ictu hastæ paucas post horas moritur, tanto suorum pavore, ut parum abfuit, quin omnes simul copiæ dissiparentur. Cum prope accisæ res essent, Germanum a Vicegrado præsidium supervenit, quo confirmati militum animi, & prælium ubique restitutum est: fugati deinde hostes; exercitusque Strigonium reductus. Ibi Carolus, ne multiplicandi ad Budam vires Barbaris copiam faceret, maturandum inceptum ratus, rebus

Strigonii compositis, Budam perrexit ire. Prævenire tamen adventus sui famam non potuit; præcurrerant enim, qui nuntiarent Otomanis, adventare hostis exercitum. Turcarum Dux ut ab oppugnando urbem removeret hostes, dum sibi præter urbis præsidium XV millia armatorum præsto essent, cum valida suorum manu ultra Vacciam est progressus, ratus id, quod verum est, majorem animum inferenti vim esse, quam arcenti: monitus deinde haud procul Cæsarianos esse, collem quemdam occupavit, munivitque. Carolus Lotharingiæ, postquam in conspectum hostium venit, situm contemplatus, & planiciem colli subjectam, palustribus herbis, virgultisque vestitam, & ob id hostis fiduciam, bifariam divisis copiis, Aloysium Badi Regulum, & Aloysium Regulum Neoburgi his præfecit; jussitque, ut collem simul & a fronte, & ab lateribus ascenderent, ut audaci incepto terrorem incuterent hosti. Exequenter obeditum Imperatori est: & primo quidem dispar pugna fuit, dum in arduum Cæsariani nitebantur; at postquam stabili miles loco constitit, tum æquiquum prælium esse cœpit. Nec in longum

gum id tempus extractum eſt, cum virtute Auſtriaci longe Barbaros præſtarent. Cæſi itaque, dejectique a colle Turcæ ſunt, atque in fugam conſternati. Equitatus Barbarorum qua potuit celeritate Budam diffugit; pedes maxime, cujus ea pugna fuit, in fuga cæſus. Quingenti eorum Vacciam ingreſſi mœnibus tenebant ſe: ſed cædes ſuorum, & trepidatio, qua omnia circa inclinabant, & admota muris tormenta ſubegerunt eos. Oppidum captum, Barbarique in ſervitutem aſſerti.

Secundum hæc Cæſariani Budam pervenerunt. Urbs ea, quæ Offen a Turcis vocatur, Peſth antiquo oppido jungitur ponte, ſeu ratibus ex utraque ripa colligatis in inferiore provinciæ parte ſita eſt, Regiaque Pannoniæ fuit, dum ſua res ei genti ſtetit, & urbs illuſtris. Pontem, domoſque, in ulteriore ripa ædificatas Turcæ incenderant. Novus itaque pons Vacciæ oppoſitus conſtructus eſt, quo tranſitus exercitui fieret. Dum Auſtriaci transgrederentur, Zuglannus, qui Turcarum in Pannonia eo anno Imperator erat, delectas ſuorum legiones, XV millia hominum erant, ad poſtremum intercipiendum agmen Auſtriacorum duxit, ſperans fore, ut

ut facile eos dissipare posset. Spes eum fefellit. Strenue, celsoque animo Cæsariani invehentes sese Turcas acceperunt; ballistarumque maxime ignitarum ictibus consternaverunt hostes. Signo ab his receptui dato, Germani cum bona pace in alteram ripam egressi urbem circumvallarunt. Ea primum pars, quam amnis præterfluit, tormentis discuti cœpta assiduo militum labore. Zuglannus interea tentare non desistebat, si qua forte occasio daretur apte aggrediendi hostem. Cum dies aliquot obsidio durasset, tribus simul locis in castra Austriacorum ab Otomanis incursatum est. Et tumultum aliquanto majorem excivere, & stragem militum ediderunt, duabus stationibus occupatis: concursu deinde Christianorum undique eo facto, ubi pugna erat, numero superati hostes, & extra vallum sunt dejecti. Plus trecentis Austriacorum in eo certamine cecidit, aliquanto major numerus Turcarum. Nec segnior interim oppugnatio erat, certantibus inter se virtute, audaciaque Germanis, Otomanisque. Paucos post dies inferiorem urbis partem Austriaci occupaverunt: tum arcem, quam S. Gottardi vocant, & in colle ædificata

cata eſt, aggredi parant. Priuſquam noſtri id conarentur, Otomani, arce relicta, in ſuperiorem urbis partem ſeſe incluſerunt. Sed ab colle, poſteaquam eo pulſi Turcæ ſunt, non intermiſſis operibus mœnia diſcutiebantur: & cuniculos agi cœptum certa pene in ſpe urbis potiundæ. Ab occidentalibus interim Budæ montibus Otomanus Imperator ſingulis ferme diebus ad exploranda hoſtium caſtra inſtructo agmine progrediebatur; confirmabatque per literas Oppidanos ad obſidionem tolerandam. Ut eam obſeſſis fiduciam demeret Carolus, mille pedites e caſtris, majorem multo equitatum eduxit; primaque luce haud procul a munitionibus hoſtium ſubſtitit, pugnæ copiam facturus. Et Barbarus læte eam occaſionem amplexatus inſtruxit aciem numero ſuorum fretus, & maxime Camelorum, quorum aſpectu equi territari ſolent. Sed jam ante alias aſſuetus Germanorum equitatus beſtiarum illarum impetum ſuſtinere in eo maxime ſpem Turcarum eluſit. Intolerabilis deinde Cæſarianorum vis Otomanis fuit; cæſique Barbari a fronte, & ab lateribus, quæ Sarmatarum, ſociorumque copiæ circumvenerunt: nec in

fugæ

fuga minus, quam in acie occidione occisi. Præda ingenti potitus miles, tentorium, vexillumque Otomanici Ducis Viennam delata ad Cæsarem sunt, & in templo Deiparæ Virginis in ea urbe reposita. Cæterum post tam claram ex hostibus victoriam æque atrocem Germani obsidionem habuerunt. Valido quippe urbs præsidio custodiebatur; præpositique militibus duo longe clarissimi Viri Maometus, & Saitannus, quorum virtute, armisque Buda eo anno defensa Austriacorum vires, spem Caroli elusit. Gravior quoque in castris tum annona erat, confectusque assiduo labore, certaminibusque Germanus miles, angusto insuper cibo corpus tolerabat. Manavit inter Austriacos, & non obscura fama, pecunia ab Otomanis corruptum fuisse Præfectum annonæ; parvumque ab eo frumenti numerum, aliorumque commeatuum in castra subvectum; & id maxime impedimento fuisse, ne urbs expugnaretur. Et morbo laboratum est, ob inclementiam Cæli; nimio solis æstu, densisque vaporibus, ut in palustri terra, exercitum vexantibus: vagata deinde per milites, servitiaque lues, multos quotidie mortales misere perimebat; multos a bello,

bello, & certaminibus ad nutriendorum corporum curam avertebat. Exacto deinde autumno hiberni imbres ingentibus procellis effusi bellum diremerunt. Decretum itaque est, ut legiones inde abducerentur. Carolus Lotharingiæ Viennam ad Cæsarem venit malignitatem, perfidiamque Ministrorum accusaturus: cæteri exercitus duces, tribunique copias in hiberna per opportunas provinciæ urbes diviserunt.

Etsi præter spem felicior hoc anno Otomanis belli exitus fuisset; repulsusque ab imperii finibus Sarmatarum exercitus arrexisset animos; arma nihilominus gravitate eorum fessi detestabantur: nam & robur juventutis amissum in eo bello erat; interclusoque Venetorum classibus commercio, omnium ferme rerum penuria Barbaros premebat. Sed insueta vinci gens ob dolorem tot urbium amissarum pacem aspernabatur. Itaque Maometus Rex, si forte eam belli voraginem explere posset, magnum pecuniæ numerum ex privato ærario ad publicos Quæstores deferri jussit: & Kiuperlius, qui Karà Mustaphà extincto, ut ante dictum est, suo ære mille pedites armavit, sperans alios quoque ci-

civitatis principes verecundia obſtrictos utile imperio exemplum imitaturos eſſe. Nemo eſt imitatus. Sexdecim deinde triremes conſtruere prædivites aliquot mercatores coacti, eaſque impenſa ſua mittere ad bellum: juſſumque Africanis Piratis, ut cum regio Præfecto vires conjungerent, Græciæque omnem oram adverſus Venetorum claſſes defenderent. Terreſtres quoque ut complerentur copiæ, delectus intentiori cura haberi eſt cœptus: & Aſiæ Præfectis imperatum eſt, ut binos ex unaquaque familia homines auctorarent. Nec ſegniter interim, otioſeque Veneti parabant bellum: auctique eo animis, quod nuſquam elapſo anno Barbari congredi claſſibus voluiſſent, naves aliquot refecerunt; expletoque remigum numero, delectum quoque militum inſtituerunt. Et adſcitæ ex Germania, & vicinis Italiæ provinciis cohortes pleræque militum mercede militantium: & ab Roma, & ab Etruria, & a Melite valida peditum, & navium auxilia venerunt. Tum de pecunia, qua plurimum Reſpublica egebat, Patres conſuluerunt: factumque Senatus Conſultum, novæ ut civium, Italæque gentis familiæ in Patriciorum numerum conſcriberen-

rentur, quibus ad exercitus comparandos, alendosque sexaginta millia ducatorum erogare in animo esset. Ita haud parvam auri vim in ærarium invexerunt.

Principio veris Otomani in occidentalem 1685. Epiri partem, quæ Adriaticum sinum spectat, exercitum introduxerunt. Ea Epiri gens Venetorum amica, Turcarumque dominationis impatiens arduo, & difficili montium situ libertatem tuebatur; mediaque inter Venetum, atque Otomanum imperium, utriusque gentis commercio gaudebat. Ubi infesto agmine Turcæ in confines agros transcenderunt; Epirotæ, receptis inter anfractus montium, silvasque, & maritimam Adriatici sinus oram conjugibus, liberisque, angustias montium occupaverunt. Contemptim, nec satis ab insidiis præcaventes Turcæ in infessos ab hoste saltus exercitum induxerunt: ita cum parum aptus multitudini, & impedito agmini locus esset, facile deturbati ab hoste, & in fugam detrusi, eadem celeritate, qua bellum cœperant, inter Otomanici imperii fines cesserunt. Ad eam Epiri partem custodiendam naves duæ majoris formæ, totidemque triremes a Morosino missæ, & ali-

aliquorum ſignorum milites. Et eodem tempore motum in Peloponneſo bellum eſt, petitique ab Otomanis accolæ Taygetarum montium, quod favere Venetis, & in Peloponneſum vocaſſe eos, auxiliumque promiſiſſe credebantur. Duabus legionibus conſcriptis, Iſmael Præfectus Otomanorum eos confeſtim eſt adortus; ſed montana loca arduaque, & aſpera, interjectis rupibus, vallibuſque, facile grave armis agmen impedivere; majorque aliquanto metus, & trepidatio fuit, cum ferox gens, & perita locorum, tumulis aliquot occupatis, ſupra caput hoſtis conſederunt. Tum undique obſeſſis viis, non ſine ſtrage ſuorum Otomani retro flexerunt iter. Præfectus nequicquam vim adhibitam cernens, ingenio graſſatus, quando ea gens armis ſubigi non poterat, beneficiis, blanditiiſque, ut eſt mutabilis Græcorum animus, Regi Otomanorum reconciliavit.

Ad Œoliam claſſis Venetorum ſtabat, quo Ambroſius Bembus ex Italia valido cum ſupplemento navium, & Germanorum militum venit ad belli conſilia exequenda haud parum opportunus. Cum validæ admodum vires Chriſtianorum eſſent; appareretque omni-

mnibus, terra ſimul, marique, diviſis copiis, facile bellum geri poſſe. Moroſinus Imperator, decem & octo navibus ex claſſe ſubductis, Molinum, Delphinumque patritiæ gentis viros iis præfecit; juſſitque, ut Africanorum piratarum auxilia Otomanis intercluderent, in quibus ſpem poſuiſſent; & ipſe octoginta navium claſſe, minoribus pleriſque navibus admixtis, Peloponneſum navigavit. Sexto Kalendas Julii prope Coronem urbem Veneti exſcenſionem fecerunt: in promontorio urbs ea ſita eſt Meſſeniaci ſinus: tum tribus ſimul locis oppugnari cœpta majoribus tormentis, cuniculiſque: & ex colle contra urbem poſito in ſubjectos ſibi hoſtes Veneti ignita ingerebant pila; quibus multi mortales intra urbem abſumpti, & pleraque ædificia arſere. Inter hæc Turcarum Præfectus, ſex armatorum millibus collectis, haud procul a caſtris venit, ea tentaturus, ſi forte aliqua parte expugnari poſſent. Caſtra nequicquam aggreſſus, dejectuſque inde cum cæde, inædificatam colli turrim, urbique maxime infeſtam ferociter invaſit. Et primo impetu Illyrii, qui ibi præſidio erant, fugati ſunt, interfectis ple-

risque, & pars turris occupata. Sed breve gaudium fuit: Melitenses namque, & Italorum equitum ala verbis, suoque exemplo castigatos Illyrios in prælium reduxerunt, in quo nova virtute sua timiditatis notam delevere. Quadringenti ferme Turcarum in acie cæsi, reliquos ex fuga dissipatos vallum usque victores sunt persecuti. Aucto deinde, Otomani, ex novis commeatibus exercitu, iterum, ac tertio turrim oppugnavere: & eodem tempore porta urbis erumpere Oppidani parati erant, si qua spes affulgeret bene gerendæ rei. Sed ad turrim male ab Otomanis acta res; & Oppidani parum sibi, & fortunæ fidentes inter muri circulum tenuerunt sese.

Inter hæc Otomanorum Præfectus navium ex Byzantio solverat cum valido supplemento militum, auxilium obsessis laturus. Tenedum primo insulam petiit, deinde Lesbon; certiorque Scii factus, Venetorum classem in propinquo esse, Rhodum navigavit, quo in portu tutam ab hostibus classem credebat fore. Delphinus, Molinusque non ante finem persequendi Turcas, quam in portu Rhodi fecerunt: tum decem prospeculati Afri-

fricanorum naves, ad pugnam eos, ſed fruſtra laceſſivere. Dum tergo fugientium Africanorum pertinacius hærent, Præfectus Turcarum clam Rhodo egreſſus Naupliam in Peloponneſum venit, ibique milites, quos ſecum trajecerat, alioſque in terra commeatus expoſuit. His novis acceptis copiis, Otomani per nuntios, literaſque facere conabantur Coroneis animos ad obſidionem tolerandam; apparebatque, niſi ſpes ea præcideretur obſeſſis, fore, ut nullus bello finis imponeretur. Concilio Tribunorum evocato, omnes fere in eamdem ſententiam iere: „ regium Præfectum intra vallum ipſum, „ ſi detrectaret certamen, aggrediendum „ eſſe; tum demum, victoria ex hoſtibus „ parta, perdomari feroces Oppidanorum „ animos poſſe „. Certamine edicto, major pars militum e caſtris educitur; & tribus ſociorum navalium cohortibus tum primum ob inopiam militum ſcriptis imperatum eſt, ut ex compoſito in vallem, quæ latus hoſtium aperiebat, demitterent ſeſe; primique, nec animadverſi Turcas adorirentur. Gnaviter obeditum Imperatori eſt; ſuperataque valle, antequam cætera acies moveret ſe,

inopinantes Barbaros ſunt adorti. Hic, ut in re ſubita, ſtupere primo, ac trepidare hoſtes, atque exterriti arma capere; deinde cum a fronte quoque nova Chriſtianorum ſigna apparuere, tum certa deſperatio animorum, cædeſque, & fuga fuit. Caſtra capta, direptaque, pauciſque admodum Chriſtianis amiſſis, in caſtra gaudio ovantes victores reverterunt. Ibi nuntium Moroſinus Præfecto urbis miſit; ut in voluntariam deditionem, objecta neceſſitate, perliceret; „ vitam, libertatemque, ſi urbem tradant, „ civibus promittit, nullam recuſantibus „ ſpem veniæ fore. Nec dicta, nec minæ apud eos valuere. Scalis itaque urbem ſcandere Chriſtiani conſtituunt; quod ubi fieri eſt cœptum, haud negligenter Oppidani belli munia obibant, egregiam rati gloriam, ſi adverſus hoſtes pectora pro muris opponerent. Tres ferme horas certamen tenuit; pulſique tandem Chriſtiani. Paucis poſt diebus, cum collapſa ruinis magna ex parte mœnia eſſent, renovatum prælium eſt; & odio magis, quam armis utrinque milites pugnavere. In ipſo impetu Venetorum ſubeuntium muros multis ſimul locis capta urbs eſt:

eſt: & mulierum, puerorumque comploratus, qui in illo urbis excidio ex tectis, feneſtriſque præcipitabant ſeſe, omnia tumultu ac terrore impleverunt. Plus tribus Oppidanorum millibus eo die intra muros cecidit; ab avido deinde prædæ hoſte ad tecta, templaque diripienda diſcurſum eſt. Major ea, quam pro magnitudine urbis fuit; quod nec præviſa obſidio erat, & inter cæteras Peloponneſi urbs ea commercio florebat. Abeam deinde exercitus ductus: ibi Taygetæ, Xarnata Otomanis erepta, cum Venetis ſe conſociaverunt, auctiſque eorum adventu viribus, iterum cum Otomanis, nec minus proſpero ſucceſſu prope Xarnatam ipſam dimicatum eſt. Copiis Barbarorum in Peloponneſo ita fractis, Abeæ qui præſidio erant, metu ſervitutis abjecto, vacuam eam Venetis reliquerunt. Et aliæ quoque urbes, caſtellaque ea ipſa militum ferocia ſunt expugnata. At in Dalmatia Signi arx nequicquam tentata a Venetis, & ad Duarem fuſi Turcæ res quodammodo æquavere. Tum & in Græcia, Dalmatiaque ad hibernandum ſeſe exercitus reduxerunt.

In Pannonia hoc anno non intermiſſo

victoriarum curſu Leopoldi imperium prolatum eſt; ademptæque Maometo Regi illuſtres nonnullæ urbes, quæ velut clauſtra Otomanici regni erant; quibus occupatis, facilius deinde Cæſari reliquarum provinciæ civitatum parta dominatio eſt. Principio hujus anni inter duos clariſſimos Chriſtianæ Reipublicæ viros exarſit ambitio exercitum, provinciamque Pannoniam obtinendi: & hi non gloria modo rerum geſtarum inter ſe certabant, ſed gratia, & affinitatis juribus, qua ambo Auſtriacam domum contingebant. Cæſaris ſororem, ut ante ſcriptum eſt, in matrimonium duxerat Lotharingius: filiam ſuam Leopoldus Bavariæ Regulo deſponderat; & hic copiarum partem auſpicio ſuo ducere contentus erat. Diu incertus animo Leopoldus fuit: pervicere tandem qui Carolo faventes; „ non eſſe e republica, dicebant, exercitu diviſo, debiliores utroſque fieri, & tardiores exitus rerum, & in ea provincia, in qua Otomanorum robur omne virium, & imperii ſuſtinendum eſſet „. Carolus Novidunum cum exercitu eſt profectus; Vandeliciorum Regulus Viennæ ſubſtitit connubium celebraturus. Validum

dum Noviduni præsidium Turcarum, atque ita inexuperabilem arcem Germani invenerunt: & fusi per eos forte dies continui imbres adeo corruperant vias, ut expeditis haud facile, impedito agmini inexplicabile iter esset. Oppidani quoque satis animi habuerunt ad erumpendum in hostes: provectosque aliquanto ante cæteram aciem nobiles plerosque Gallos, simulata fuga, in suburbanos quosdam hortos arboribus, maceriisque coarctatos, inclusosque pertraxerunt: ibi repente in eos versi, negligentia, ut in re secunda, solutos Gallos impetu primo fuderunt: pars eorum sunt interfecti, cæteri mortem, aut servitutem inissent, ni ab legionibus in tempore subventum foret. Tum ab oppugnando urbem Germani se abstinuere; atque Nahyhaysel exercitus est profectus. Ad Nitriam amnem urbs sita est; rivoque ejus, qui in fossam fluit, oppidum cingitur natura, arteque munitissimum, intruserantque se mœnibus ducenti ferme equites, & duo millia veteranorum peditum. Bifariam operibus divisis oppugnabatur urbs. Posteaquam ad fossam est perventum, tum Germani avertere inde aquam, & novo al-

veo excipere; & id opus turbare Oppidani. Parum res, ut in planis locis, Germanis procedebat: itaque multis ferme diebus in eo opere absumptis, aliquantum cum resedisset aqua, tum duas Germani vineas promoverunt, sed nihilo meliori eventu. Opdani namque, qui haudquaquam negligenter urbem tuebantur, ignitorum velut nimbo pilorum, facibusque conjectis ambas simul vineas incenderunt.

Harum fama rerum Zuglannum ab Segeduno excivit; profectusque inde egregio cum exercitu, in quo supra L. millia Turcarum erant, Strigonium oppugnatum venit; ratus abstracturum ab Nayhaysele hostes, si Strigonium aggrederetur. Carolus postquam eam obsideri urbem accepit, necessitate simul, & occasione certaminis inductus, majori parte militum sumpta, exercitum ab Nahyhaysele movit, relicto ibi Ænea Caprara cum XVI millibus armatorum; ne segniorem per id tempus obsidionem Oppidani haberent. Priusquam exercitus congrederentur, Vicegradus ab Otomanis est captus; deinde cum in conspectu hostium Germani castra posuerunt, dubitatum aliquandiu est, an ultra pro-

progrederentur: nam forte palus bina interjacebat caſtra: apparebatque ſine magna militum jactura, aut periculo, nequaquam ſuperari poſſe. Illinc igitur Carolus cum exercitu abſceſſit; haud dubius, quin avidus pugnæ hoſtis, numero ſuorum confiſus, ultra paludem inſecuturus Germanos eſſet; atque inde haud procul in planicie caſtra ſubſtituit. Barbari prope conſecuti ſunt proficiſcentes Germanos; ſuperataque noctu palude, centum fere paſſus a Chriſtianorum caſtris conſederunt. Nebula matutina ademerat conſpectum. ita cum certamen inſtaret, Carolus inſtructas jam ante copias ad pugnam adhortatus, gloriæ, prædæque ſpe inſuper incitavit. „ Non numero ſuperari hoſtes, „ ajebat, ſed robore virium, & animi vir„ tute: pugnarum ad Viennam, ad hoc „ ipſum Strigonium commiſſarum recorda„ rentur, ubi numero ſemper ſuperiores „ Barbaros, nequaquam virtute pares juſta „ cæde ipſi deleverint: & tum victoriarum „ præteritarum ſuperbia elatos, integros eos „ victos fuiſſe: nunc animis fractos, debi„ litatis imperii viribus, ex Aſia, Græcia„ que vi, metuque contractos tirones cum

„ ve-

„ veteranis, cum fortiſſimis militibus pu-
„ gnaturos eſſe. Quam Chriſtianæ genti glo-
„ riam ex ea victoria cumulaturi eſſent,
„ quas ſibi divitias, propediem ſummo cum
„ gaudio ſcituros; cum onerati auro, quam
„ armis Barbari fortiſſimorum militum præ-
„ da fuerint, confectiſque in provincia O-
„ tomanorum viribus, ſub ditionem ceſſerit
„ Auſtriacorum „. Accenſis ita militum animis, lævo in cornu, quod Iſter amnis claudebat, ſigna pleraque Vandeliciorum, & duas Auſtriacorum legiones locat: præerat his Regulus Bavariæ, qui nuper ad exercitum venerat: dextrum cornu Cæſarianis legionibus firmat, ſibique illud aſſumit regendum: media acies, in qua magna pars auxiliorum erat, Waldeki Regulo tuenda data. Nebula diſcuſſa, ab expeditis equitibus laceſſita primo pugna eſt; Otomani deinde, magno clamore ſublato, ſtrenue ſeſe in hoſtes intulerunt. Vis major circa Vandeliciorum ſigna fiebat: & numero ſuperabant hoſtes, quorum major pars veteranorum erat: celſi tamen, impavidique Barbarorum impetum excepere Bavari; armiſque & corporibus miſcentes prælium diu hoſtes coërcuere.
La-

Laborare deinde lævum cornu, & parumper referre pedem. Tum Lotharingius, relicta ea parte, quæ haud dubie vincebat, cum nonnullis cohortibus auxilio Vandeliciis venit: ita æquata lævo in cornu pugna est. Parumper substitit, velut ad respirandum Otomana acies; renovato deinde clamore, iterum hostes invadit: nequaquam tamen Germanorum vim, novamque audaciam sustinuerunt. Detrusi undequaque in fugam per vicinas silvas palati Budam plerique, cæteri ex fuga collecti Imperatorem secuti ultra paludem se receperunt. Castris captis, major prædæ pars militi concessa est, & exemptum obsidione Strigonium. Cumulavere gaudium ejus diei nuntii ab Nahyhaysele missi, qui captam eam urbem retulerunt. Æneas enim, profecto Strigonium exercitu, omnem animum, curamque intenderat ad expugnationem urbis, maxime cupidus, ne secum quisquam alius ejus rei gloriam participaret. Omnibus operibus, machinationibusque premebat urbem, divisisque militibus in orbem, præliis integri fessis succedebant, dum contra assiduus labor, nec intermissæ vigiliæ Oppidanos obruerent. Posteaquam viam sibi

in

in urbem tormentis patefectam vidit, muros transcendere milites jubet; ita sperans defungi obsidione exercitum posse. Atrox certamen fuit, cum pro aris & focis dimicaretur ab hoste; & obversarentur pugnantibus ante ora conjuges, & parvi liberi opem petentes: fixi itaque vestigio hærebant, objiciebantque nuda pectora ictibus, ne muri caperentur: numero tandem superati, & ferocia Germanorum, plenam hostibus urbem momento temporis, & captam arcem conspexerunt. Ibi explevit se miles optata præda, & cæde Oppidanorum, nullo ætatis, aut conditionis discrimine facto. Eodem tempore exercitui nuntiatum est, fortuito incendio Novidunum Oppidum cum multorum strage civium conflagravisse; dirutaque urbe arceque Barbaros illinc discessisse. Multa deinde oppida aut vi subacta, aut per conditiones tradita sunt: fuerunt autem hæc, Eperies, Reches, Petak, Unguvar, Servar. Et in inferiori provincia, Duce Merci, secundæ res fuerunt, receptæque armis Zolnok, & Sarvas urbes, præter alias minus nobiles civitates, quæ vel ad metum, vel ad spem veniæ Austriacis tradiderunt sese. Nec per hyemem quies

quies Otomanis fuit. S. Jobi arcem medio ferme Februario, quod alta peropportune concreta glacie palus erat, in quam prona urbs eſt, Chriſtiani aggrediuntur. Cum aliquot dies obſidionem, & belli incommoda paſſi Oppidani eſſent, auxilio ſuorum excluſi arcem tradiderunt: incolumes ipſi cum liberis, ac conjugibus Albamgræcam ſe contulerunt.

Exitu anni hujus, priuſquam Viennam ex provincia Carolus proficiſceretur, legatus ad eum ab Imperatore Turcarum venit, ad inchoandas, ſi poſſet, conditiones pacis: reſponſum a Carolo eſt; „ belli ſibi, non pacis deman-„ datam adminiſtrationem eſſe; ſi ſuſcepti cum „ Auſtriacis belli Otomanos pœniteret, Cæ-„ ſarem Viennam adeundum eſſe „. Ita ad Leopoldum rejectus legatus, cum ultra non tetendiſſet, Budam ad Imperatorem ſuum eſt reverſus. Nobilium deinde Pannonorum, qui in Cæſarem conjuraverant, & quorum conſilio motum ab Otomanis bellum erat, audita legatio eſt. Oratores ad veniam petendam miſerant, poſteaquam nihil ſe ab ſceleſto illo fœdere cum Otomanis, quam exilium ſibi, liberiſque, & infamem amicitiam

tiam petiſſe intellexerunt. Quo fœdior, eo quoque durior cauſſa eorum erat, nam neque negare poterant arma in Cæſarem ſumſiſſe, & Barbarorum Chriſtiano prætuliſſe imperium. Sed diuturno exilio, & bonorum publicatione ſatis pœnarum penſum credebant fuiſſe. Hi ſupplicum, & veniam petentium more, antequam ad Carolum introducerentur, plerique exercitus Tribuni, Centurioneſque accerſiti in concionem ſunt; & circumfuſa turba alia militum adſtantium erat; ut læto ſpectaculo adeſſent Pannonorum dedentium ſeſe. Cum ordine conſediſſent Tribuni, intromiſſique oratores eſſent, tum lacrymæ omnibus repente obortæ Germanis ſimul, Pannoniſque, aliis aliorum affectis motibus animis; Pannonorum eo gratiores eſſe, quod pœnitentiæ fidem faciebant. Silentio facto, legationis princeps ita verba fecit. „ Hic ſquallor, & luctus, quo ſordidati ad te, Carole, venimus, eo triſtior „ nobis eſt, quod cum peccati pœnam luimus, nullam confeſſioni noſtræ excuſationem, quæ culpam levaret, licet prætendere; qui voluntaria defectione Cæſari „ bellum intulerimus, & patriam ſervituti „ ob-

„ objecerimus Barbarorum.. Verendum itaque nobis eſt, ne gaudium potius iis, quæ pœnas expetierunt, noſtra hæc præſens conditio, quam miſericordiam movere poſſit. Sed aut ſemel iræ, juſtæ quamvis, modus eſt faciendus, aut deſperanda nobis venia eſt. Miſeros nos ſimul fortuna noſtra fecit, ſimul admiſſa culpa: ſed ea nec pœnitentiam ſurripere, nec ſpem in perpetuum ablegare poſſunt; in nobis quippe, qui in vos peccavimus, vel ira veſtra, vel clementia plus poteſt, polletque. At quem ſquallori noſtro, & lacrymis locum dediſtis, ut veniam peteremus, eum clementiæ dediſtis: quæ ut facilior nobis ſit, tecum ipſe elevare facinus, & humanam excuſare infirmitatem, mitiſſime Cæſar, debes, & errori potius, quam delicto aſſignare. Leopoldum nobis Cæſarem, regiamque omnem ſtirpem alloqui videmur, cum te Carole, alloquimur. Atqui nonnullos vidimus ex Nobilitate, multos etiam populares noſtros, qui a patria defecerant, Leopoldi ſententia ſervatos, cum jure damnati erant. Hoc ſi ſingulis conceſſum eſt, univerſo ordini imploranti

„ cle-

„ clementiam negaturi eſtis? mitem illis „ victoriam, triſtem nobis, & implacabilem „ exhibituri? præſertim cum publico exem- „ plo pœnitentiam noſtram utiliorem cre- „ dimus eſſe; & Cæſaris clementiam glo- „ rioſiorem fore. Pulcherrimum hoc victo- „ riarum eſt, victis parcere, & reſipiſcen- „ tium non averſari preces: id & in proxi- „ mos laudabilius: ex inimicis enim cives „ fiunt, quibus nemo fere eſt reipublicæ ad- „ dictior. Et quidem ſi receptus nobis in „ Cæſaris gratiam ſit, & aſcribi iſtis legio- „ nibus volueris, ſpondere tibi, Carole au- „ demus, nulli nos tuorum peditum, nulli „ equitum fide, & virtute ceſſuros; & ſan- „ guine noſtro, corporibuſque Cæſari, pa- „ triæque ſatisfacturos eſſe. Dicam ego quod „ ſentio; dempta hac lenitate Chriſtianæ „ indolis, & abſtinentia, quam inter arma, „ & victorias prætuliſtis, quid eſt, quod „ Barbari vobis non comparandi eſſent? illi „ quippe, ſi qui a publica cauſſa defecerint, „ in præſentes ſævire, ſupplicio ultimo affi- „ cere, cruciatibus non abſtinere; abſentes „ vero bonis, perpetuo exilio mulctare ſo- „ lent. At vos ab ſceleſtis civibus iram

„ tem-

„ temperavistis ; indignis etiam & pœnam „ merentibus quasi asylum aperuistis clemen„ tiæ vestræ . Hæc eadem nos lenitas , & „ mansuetudo animi in vos animavit , ut „ cum culpæ pœniteret , veniam precari „ auderemus ; siquidem publicam fraudem „ nostram clementia potius , quam pœna „ expiari posse miti victoria vestra declara„ stis ; cum nulli veniam imploranti , gra„ tiam abnuistis , & quos culpa cives ab„ straxerat , eos in patriam revocatos carita„ te , & beneficiis amplexati estis . In hac „ igitur tanta , tamque admirabili clemen„ tia Cæsaris , & vestra , id modo deprecamur , „ ne soli per vos indigni videamur , quibus „ ignoscatur „ . Sub hæc dicta ad genua Caroli procubuerunt , a quo benigne excitati , ac bonum animum habere jussi : „ expertam „ toties in eo bello Leopoldi clementiam „ ipsis quoque placabilem fore , ajebat ; & „ meliores , auctioresque suas cuique reditu„ ras res „ . Monuit deinde eos , ut vanitatem Otomanorum experti constanti in Cæsarem fide præteritam defectionem corrigerent ; & quo majus beneficium accepissent , eo cumulatiores referrent gratias . Scripsit

 de-

deinde Leopoldo Carolus de Pannonorum legatione, & de postulatis eorum; adhortatusque, ut clementer de iis consuleret, qui ultro in fidem venissent; retentique in castris legati, quousque ab Vienna redderetur responsum. Benignum id, acceptumque Leopoldi decretum Pannonis fuit. Edictum itaque Pannonis est; ut qui Otomanorum, ac Techelii sectam secuti essent, & intra certum, ac finitum tempus ad Austriacos transirent, eis præterita defectio fraudi ne esset; dummodo arma ponerent, traderentque castella, urbesque Austriacis præsidiis custodiendas: & si bellum sequi vellent, sub ducibus Austriacis, aut eorum permissu Otomanos persequerentur. Et injunctum in decreto Carolo erat, ut qui videretur ei ad postulata Pannonorum audienda deligeret; referrentque quod e republica censerent esse. Ita clementia Cæsaris, Caroli consilio restituti in patriam permulti nobiles homines, proceresque equestris ordinis, quorum deinde opera utiliter Respublica usa est: nam & auctoritate sua valuere apud cæteras civitates, ut in Austriacorum dominationem inclinarent animos; & ipsi, alibi alii, viribus suis, clien-

tium-

tiumque cum publico hoste bellum gesserunt.

In Sarmatia hoc anno nihil memorabile gestum est. Primo vere legatus ab Rege Scytharum, Sultanum ipsi vocant, Cracoviam venit, ad alienandos Patrum animos ab societate Austriacorum. Senatus ei datus est, & cum assensu nonnullorum Patrum audita legatio est: constabat enim quosdam eorum Otomanica pecunia præoccupatos fuisse. Auctoritate aliorum, & initæ societatis verecundia deterriti frequentes bellum decreverunt. Sed parum id Senatus Consultum ad summam belli profuit: segniter namque delectu habito, pecuniam quoque, & commeatus, quibus ad exercitum alendum opus erat, ita otiose quæstores comparaverunt; ut æstas prope tota, tempusque bello datum perpetuis altercationibus transigeretur. Scythæ interim ira aspernatæ pacis, Sarmatarum discordiis freti magis, quam armis, infesto agmine, ultra Podoliæ fines incursavere, nullo aut exercitu resistente, aut subitario aliquo agmine incolarum obviam facto; ingentem prædam hominum, pecorumque averterunt. His rumoribus Cracoviam

 al-

allatis, fremitus in Senatu eorum erat, qui „ prodi rempublicam a magiſtratibus dice„ bant: impune Tauros vagari, Sarmatiam „ tacite tuliſſe eos: objeciſſe incendiis villas, „ cives ferro Barbarorum: libertatem, quam „ Patribus leges nimiam dediſſent, in fœdam „ ab iis licentiam verſam eſſe: certare inter „ ſe odiis, dum in ſuas unumquemque urbes „ bellum perſequeretur „. Extracta admodum æſtate, Leopolim exercitus eſt profectus; ad cujus adventus famam Galga Taurorum Rex, egregio exercitu conflato, Scythæ, Otomanique admixti erant, ut Moldaviam prohiberet Sarmatis, vias omnes expeditis inſidiatoribus obſedit: inſtare deinde hoſtibus, & poſtremum iis agmen carpere, caſtraque ubique infeſta facere perſeveravit. Omni genere vexationis fatigati Sarmatæ, cum diu ad Pruth amnem conſediſſent, nec ulla rei feliciter gerendæ ſpes oſtenderetur, mœſti, abjectique animis, impedimentiſque magna ex parte incenſis, Cracoviam ſe reduxerunt. Exercitus profectionem incurſiones Taurorum, villarumque incendia excepere, Volinia fere omni ferro, ignique pervaſtata. Nierovvæ deinde ad præſidium opprimendum Tauri

Tauri arma conjunxerunt. Cosaci eam custodiebant, qui ultra quam suppeterent vires, quia jam imminebat hyems, deditionem extrahebant. Ubi infestum Barbaris anni tempus fuit, motis castris, Nierovva recesserunt.

Inter ipsas militum expeditiones fama affertur, magnis Byzantii motibus agitatam plebem fuisse non desperatione modo suarum rerum, sed caritate etiam annonæ, qua maxime in urbe laborabatur. Et magistratuum invidia, per quos bellum infeliciter gestum esset, tumultus quærebantur. Seditionis consilia inter cives esse; deesse modo ducem, nec se a vi tutum cognoscebat Rex. Itaque ad usurpatum jam inde crudele remedium convertit animum, iras populorum leniendi cæde Ministrorum. Adempto Kiuperlio summo Magistratu, in bona ejus possessum publice Quæstores iere; atque in ejus locum Solimanus suffectus est. Rhodum deinde Kiuperlius deportatus odio successoris paucos post menses est interfectus. Jussu item Regis Emericum Techelium tam inaugurati belli auctorem in Pannonia comprehensum, vinctumque, & impositum vehiculo junctis

 bo-

bobus Byzantium cohortes aliquot detulerunt. Nulli dubium erat in ejus caput hominis iram plebis verſuram. Sed Solimano indignum id facinus videri; & publica fides agi credebatur; ne ſocius, & amicus populi Otomani Regulus furori multitudinis objiceretur. Forte per eos dies Caſſovia urbs ab Auſtriacis expugnata ſupplicio eum exemit; injectuſque Regi timor majorum in Pannonia cladium, ſi a fraude non abſtineret. Ergo non liberatus modo vinculis Techelius, ſed pecunia quoque ei ex ærario prompta; ut in provincia populorum animos ſolicitaret. Aliæ interim optimatum perpetratæ cædes non tam noxa eorum, quam dolore adverſarum rerum, & divitiarum cupidine, quas ipſi ſibi comparaſſe fama erat: triginta fere civitatis principes, inter quos Zuglannus, eo anno ab Rege ferro abſumpti ſunt. Ita cum fando, & nefando ſanguine Baſilicam reſperſiſſet, ad belli curam Maometus adjecit animum. Et majus multo bellum in cervicibus eſſe probe Optimates intelligebant; ad cujus belli ſumptus cum in magna pecuniæ inopia Divani Conſilium angeretur; multis prædivitibus in urbe, pro-

vin-

vinciisque mercatoribus vi adempta pecunia est; & multæ regiæ domus suppellectiles, gemmæque jussæ sunt venire, quas nemo attrectare est ausus; ne tam iniquo tempore pecunia detegeretur.

Annum tot Christianorum victoriis insi- 1686.
gnem, sequitur hic Budæ urbis, & Regiæ Pannonorum expugnatione clarus: ad hoc Peloponnesus fere omnis ditionis Venetorum facta, & Transilvaniæ accessio in opes Austriacorum. Principio statim anni, deliberantibus apud Cæsarem Ministris, quam Regni Pannonici partem, quæ sub ditione Turcarum esset, aggredi exercitibus præstaret, diu sententiæ variavere. „ Carolus Lotharingiæ Budam ante oppugnandam censebat, „ cujus expugnationem nec difficilem fore, „ enervatis Otomanorum viribus, & summæ „ rerum maxime profuturam ad avertendas, „ regia illa gentis capta, alias quoque civitates ab imperio Otomanorum. Stetisse „ illam adhuc perfidia Ministrorum magis, „ quam virtute hostium: at nunc mutata „ omnia esse: fidos sibi Ministros in belli „ curam Cæsarem delegisse; crevisse in Pannonia Austriacis vires, diminutas Otoma-

„ nis esse. Alii contra, difficilem eam rem „ dicere, neque adhuc maturam spei esse: „ invadendos ex ea parte hostes, ajebant, „ qua debiliores essent; tum ruina circum- „ stantium urbium Budæ faciliorem expu- „ gnationem fore „. Obtinuit tandem Carolus, divino eum fato, ejusque stirpem ad pulcherrimæ provinciæ imperium vocante, ut Budam primo quoque tempore exercitus duceretur.

Dum majori, quam antea, conatu, apparatuque omni opulentia insignium armorum bellum in Austria adornabatur, Otomani interea, quia vulgo ferebant, adversus Albamgræcam destinatum Cæsari bellum esse, validum in eam urbem præsidium introduxerunt: & munivere circa civitates alias, quæ bello proximiores videbantur. Is rumor nullo satis certo auctore allatus, juvit tamen in præsentia quod nihilo instructiorem Austriaci Budam invenerunt. Cæterum, quia caput ea, & arx Imperii Otomanorum in Pannonia erat, delectis peditum legionibus, equitatu admixto, custodiebatur: & multitudo Oppidanorum, quæ fungi pariter laboribus poterat, inclusi velut ea mœnia exerci-

citus speciem præbebat hosti. Bifariam, copiis divisis, per superiorem provinciæ partem Bavarus, per inferiorem, Strigonio, & Vicegrado præteritis, Regulus Lotharingiæ Budam est profectus. Venientibus Vandeliciis nullus a Pesth Otomanus apparuit: rebus sublatis, qui eam tuebantur milites Budam se contulerunt. Nihil ergo prædæ fuit. Sancti Gottardi arcem nullo admodum memorabili prælio occupaverunt. Et ex altera parte Carolus, vallo urbi objecto, ab ea potissimum parte obsidionem ostendit, qua versa in Strigonium est. Majoribus tormentis, machinationibusque, & ignitis pilis urbem simul, atque Oppidanos affligebat: minus fiduciæ in cuniculis substruendis fecit, quod aspera loca erant, & arx inædificata saxo. Quotidianæ interim eruptiones fiebant, variante eventus fortuna. Quinto Kalendas Julias atrociorem aliquanto Otomani impressionem in Vandelicios dederunt: & subitus terror ita turbavit eos, ut gradu pulsi ab Otomano fuerint, fœdamque in fugam vertissent sese, ni ab vicinis cohortibus latum peropportune auxilium foret. Et integratum postero die prælium est ad stationes Austria-

co-

corum, ubi diu paribus animis pertinacissime pugnaverunt. Pridie deinde Nonas feliciori rerum principio, tristi tamen eventu cum Otomanis dimicatum est. Orsum autem id certamen ab Austriacis, posteaquam cuniculo ab hostibus ignis admotus sive inscitia Turcarum, sive quo casu alio in murorum urbis ruinam vertit, quorum pars horrendo cum stridore procidit. Opportunum id rati tempus Germani transcendendi muros, satis valida manu in prælium vadunt. Et primo quidem impetu consternatos recenti periculo hostes tumultuoso pugnæ genere facile superabant; concursu deinde ab omni parte urbis Oppidanorum facto, ubi certamina ferebantur, segnior ubique pugna esse cœpit: mox etiam conjectu lapidum, & ignitorum pilorum, quæ ipsos inter milites horribilem edebant flammam, ac cæco velut nimbo volvebant, muro Austriacos dejecerunt. Quingenti ferme milites, & proportione voluntarii quidam juvenes, Tribunique & Centuriones ferocissimus quisque in eo certamine perierunt; fœde mulctati alii, vulneratique. Et sub eosdem dies pari felicitate Vandeliciorum stationes aggressi, opera

opera eorum turbavere: pleraque tormenta capta, trucidatique ducenti ferme, & quinquaginta Germanorum. Enixe, velut proposito certamine virtutis Germani, Otomanique urbem oppugnabant, defendebantque. Multa ibi utrinque præclara edita facinora quotidianis eruptionibus, præliisque; nec unquam fere tanto animorum ardore inter justas acies dimicatum est. Itaque non aggrediar narrare singula, quæ in hac obsidione gesta sunt: summa eorum, & præclarissima quæque attingam. Arcem imperii, speique suæ Budam Barbari ultra quam suppeterent vires, defendendam censebant: „ & „ ubi consistendi sibi locum in Regno fore, „ regia illa, & maxime validissima capta „ urbe? Non aliter ergo resistendum censebant, quam si ab eventu oppugnationis illius aut pellendi ab Regno hostes, aut omnia in potestatem eorum cessura essent. Byzantii quoque, cum primum obsideri Budam nuntiatum est; omnem hinc curam avocandam Divanus censuit; prosecutique in id bellum Solimanum majori, quam antea expectatione proceres Otomanorum. At ex altera parte Austriaci, quibus, nisi Buda capta, difficilior

lior ubique, longiorque belli exitus videbatur, extremis nitebantur viribus, ut ad effectum operis perveniretur.

Dum Budæ muris Germanorum assidebat exercitus, in Croatia interim Mattia Strasoldo duce cohortes aliquot popularium Belastenam oppugnatum iere. Adventu horum correpti metu qui eam incolebant urbem, trepidi in arcem refugerunt. Sed nihilo ea tutior Turcis fuit, quam mœnia urbis fuerant, Croati namque cædis, prædæque avidi, tectis Belastenæ incensis, ad arcem accesserunt: ibi alterni innixi, sublevantesque alii alios, & trahentes invicem, repugnantibus nequicquam Otomanis, arcem transcenderunt. Pars Turcarum in medio cæsi, pars præda victorum facti nexum iniere. Kladussæ deinde captæ, ibique multi Christianorum in libertatem asserti. Et pari successu rerum ad Orovizzam, signis cum hoste collatis, levi admodum pugna dimicatum est: minus in eo prælio cædis factum quod primo in congressu fusi Turcæ Orovizzam diffugerunt: signa multa, tormentaque ab iis capta: Orovizza deinde expugnata; in qua major aliquanto præda fuit. Et Transil-

silvaniam Scaffembergus valida Austriacorum manu hac eadem æstate invasit amicam populi Otomani provinciam. Vectigales, stipendiariique Cæsaris Transilvani facti, tributumque pro cujusque civitatis facultate impositum, exactumque. Omissa deinde ab Austriacis ea provincia est, legionesque Budam traductæ, in quam omnium versos animos, curamque Cæsaris apparebat.

Ad Budam igitur, ut ante, crebra certamina fiebant. Quinto Kalendas Augusti omnibus simul locis impetus in urbem est factus, oblata ultro occasione. Fortuito namque ictu pilorum, ignis e Christianorum castris in arcem delatus magnam sulphurei pulveris partem accendit; momentoque temporis horribili cum fragore aeris, flamma fumoque admixtis, tanta decussa vi arx est, ut ingentia evulsa e muris saxa procul inde, atque usque ad stationes Vandeliciorum incesseret; quo subito exterriti casu Vandelicii incerti quid nam id rei esset, pavidi custodias reliquerunt: nec ante trepidationis finis factus, quam nudata vanæ formidinis caussa fuit. Tum pluribus locis, qua muri rimas egerant, patefactam militi viam conspe-

ſpexerunt: nec ulla interjecta mora, ad obtinendam arcem concurrunt: atque ut terribilior Oppidanis pugna eſſet, Auſtriaci ab ſua parte urbem adoriuntur. Otomani poſteaquam ex pavore animos receperunt, novum ex ramis arborum velut murum objecere. Omnibus locis pugnabatur, cum vocata ad muros multitudo Oppidanorum, ſudibus, ſaxiſque, & omni telorum gegenere hoſtem ſummoverunt. Sed integravere Germani pugnam; & vicere tandem virtute ſua pertinaciam Otomanorum. Ita turres duæ ab Auſtriacis captæ: & a Vandeliciis eodem tempore pars arcis occupata eſt. Tum ſpem omnem libertatis obſeſſis ademptam credens Carolus, literas Præfecto urbis, & optimatibus miſit; ut voluntaria deditione, ſi vitam, libertatemque impetrare vellent, traderent civitatem. Recitatis in concione populi literis, fremitus extemplo multitudinis ortus: „ tentationem „ eſſe, dicebant, qua ad validiſſimæ urbis „ deditionem pellicerentur, priuſquam Soli- „ manus cum exercitu interveniret „: media Præfecti ſententia fuit, qui cedere urbem non recuſabat, ſi pacis conditio cum Rege Oto-

Otomanorum esset. Enimvero indignari Carolus, quod deplorata salutis spe, feroces quoque gererent animos; & perire simul omnes, quam tempori cedere, & fortunæ se suæ accommodare mallent. Renovata itaque acrius oppugnatio est: & jam exteriore urbis muro capto, interiorem quatere Germani instituunt: nulla murus is turri defendebatur, saxo tantum constructus, & vallo munitus erat. Hoc statu rerum Solimanus Belgradum cum exercitu pervenit: ibi quatuor novis legionibus acceptis, & decem Scytharum equitum millibus, magnum tormentorum apparatum trahens Budam accessit. Cum expectatione tanti belli erecti homines essent, minore id mole rerum transactum ab Austriacis est. Primo tentata castra sunt, ut aditus in urbem Otomanis fieret: postquam obtineri impetu illo non potuit, renovatum acrius aliquot post dies certamen est; dejectisque, qui primi impressionem ceperant, Germanis, trecenti ferme pedites in urbem sese insinuaverunt. Parvi id momenti præsidium fuit, nec sine plurimo Turcarum sanguine comparatum: fortissimus quisque eorum in eo certamine cecidit. Sed ne-

neque abstitere deinceps ab inceptu Barbari; irruperuntque majori ardore in munitiones hostium: & primo quidem impetu vallum superaverunt, & pepulere circumstantes Germanos; tumultum deinde in castris cum fecissent, procursatum undique ab legionibus in eos est, pertinacique admodum edito certamine, extra vallum ejecti. Tum a castro, si forte Visirus transigere rem vellet, miles a Carolo eductus; instructaque acies in prælium est. Sed Solimanus nullam in certamine spem nactus, signo receptui dato, proximos urbi montes tenuit: audaxque deinde, ac prope temerarium consilium Germanis visum, insequi Turcas, cum præceps jam dies esset, & cæco, ac fortuito furore inter latebras illorum montium cum hoste confligere.

At Barbari nequaquam se depulsos spe credebant nova aliqua eruptione penetrandi in urbem*: & Solimano ea sententia stabat, ne quasi ad spectandum urbis excidium accitus videretur. Deligit itaque ex omnibus peditum legionibus tria millia fortissimorum hominum; oneratosque eosdem ingentibus promissis, donatos quoque in præsentia duplici

plici menſtruo ſtipendio, in ſtationes hoſtium mittit, ac penetrare in urbem, omnia extrema certaminum experiundo, jubet. Vadunt hi feroces in hoſtem, & cum quibus forte congrediuntur, obtruncant: medias inter legiones provectos Carolus Lotharingiæ cum delectis militum cohortibus peropportune adhortus, poſt multam utrinque editam cædem, numero tandem oppreſſit. Quingenti eorum ab Auſtriacis interficiuntur; reliqui, multis vulneribus acceptis, ad ſuos ſe reduxerunt. Sed jam finis memorabili illi oppugnationi aderat: nec diutius manere Otomanorum imperium, infandoſque in Pannonia ritus decretum Deo erat. Ignaris itaque Barbaris, quod ultimum jam ipſi diem viverent, quod nihil ſibi in armis, ſociiſque, aut in exercitu auxilii eſſet futurum, prægravante undequaque Auſtriaci multitudine, ſcalis urbem adoriuntur. Diſcurrunt & ab omni parte Otomani ad propulſandam ſubeuntium hoſtium vim: & præfectus exactæ ætatis vir in primis aderat, ſuoque exemplo, & vocibus ad pugnam inflammabat. Diu anceps prælium fuit, cum ſola vinci morte Barbari deſtinaſſent animis: & im-

immixtá pugnantibus impuberum, ac fœminarum multitudo, lapidibus, miſſilibuſque obruerent hoſtes, difficilioremque iis victoriam facerent. At Chriſtiani Barbaris nec virtute, nec audacia cedebant. Multi Germanorum vulneribus graves, cum nulla vitæ ſpes relinqueretur, extremis tamen nitebantur viribus, ut intra urbem expirarent. Ita milites, ita duces (ſuperaſſe modum diceres virium humanarum) eo die pugnavere. Inter cæteros movit maxime admirationem omnium Aſtæ Baro, Romanus juvenis ex equeſtri ordine. Hunc, dum murum ſcanderet, graviter balliſta ictum, deficientibus viribus, pugna ſui cum abſtuliſſent; eos ante precibus agere non deſtitit, quam, divino refectum viatico, urbe capta, Budam manibus pertulerunt. Ibi Chriſtianorum victoriæ aſpectu ſatiatus lætum ſe mori eſt faſſus: nec alius deinde habitus, aut ſpecies oris fuit, quam geſtientis lætitia animi. At dum ea pertinacia animorum pugnabatur, multis jam locis Auſtriaci perrupere in urbem: tum auctus intra mœnia tumultus intercurſu imbellis aliæ multitudinis, quæ repentino pavore alienata ab ſenſu rerum, in-

certa

certa cui se fato daret, in ipsos ruebat hostes. Ibi major cædes facta: & arcem eodem impetu transcenderunt: tum inermibus parcere; ideoque senescere cædes, tradentibus arma, suaque corpora Otomanis. Præfectum cum fortissimorum globo juvenum certamen extrahentem non vi, non precibus perpellere sui potuerunt, ut muro abscederet; vitam, lucemque aspernantem, indignantemque, si excidio urbis superesset, inter pugnantium turbam interemerunt.

LIB. II. EXPLICIT.

HISTORIÆ SACRI FŒDERIS

LIBER III.

BUda capta, mihi quoque liceat, velut in parte laboris, ac victoriæ fuerim, paulliſper ab opere laxare animum; nec deinde ſingulis æque in partibus fatigari. Nam etſi nullum unquam fortaque bellum per tot annorum ſpatium pari animorum ardore conatuque geſtum ſit; minoribus tamen, & unicuique rei ſcribendo inſiſtere conſentaneum non eſt; ne immenſum mihi pene opus, & ſatietatem legentibus faciam. Illuſtriora porro facinora, conſiliaque Regum, præſertim quæ Chriſtiano civi exemplo ſint, ea poſteritati prodere in animo eſt; ut jucunditati hiſtoriæ pariter, & utilitati videar conſuluiſſe. Illud omnino pro ſe quiſque animo reputet, quanto felicius bella gerantur, ſi civili ſit Reſpublica firmata concordia: & quam hone-

nestiora Christiano populo Religionis, legitimæque libertatis tuendæ cura pia, ac justa induat arma. Hoc certe bello non pietate minus, quam virtute fultam Christianam gentem gravibus Otomanorum armis præstitisse vidimus; imperiique sui fines longe, lateque protulisse: proferetque deinceps non minori laude; modo sit domesticæ amor pacis, & cultus cura divinis.

Post expugnationem urbis Maximus Visirus majorem sibi cladem metuens, Essek urbem ultra Dravum amnem positam cum exercitu cessit. Secuti aliquandiu vestigia Turcarum Germani, quia nec equitatui pabulum deusti ignibus agri, nec militi commeatus præbebant; ab incepto persequendi ulterius hostem abstitere. Bifariam deinde diviso exercitu, Le-Vergue Tribunus militum Segedunum oppugnavit; Carolus Lotharingiæ, ut opportunum inde (aliis alias persequentibus ducibus reliquias Otomanorum) auxilium suis ferre posset, castra prope Transacincum locavit. Segedum haud parum in oppugnando præbuit moræ: nam & Le-Vergue operibus acriter intentus, dum murum speculatum propius accedit, graviter

 bal-

ballista ictus paucos post dies moritur: & Wallis, qui ei in tribunatu successit, non ante oppugnationi finem fecit, quam nova ex hostibus victoria parta, quæ fregit animos Oppidanorum. Ejus victoriæ decus penes Veteranum fuit impigrum virum. Hic Tribuni jussu contra Tauros profectus, qui confines infestabant agros, cum vespere castra movisset, postero die sub solis ortum æquo loco est adeptus: levi deinde momento profligati hostes, & in fugam acti. Corrupta hujus victoriæ laus foret licentia militum, qui prædæ aviditate alii alio dilapsi per agros vagabantur: & jam composito Visirus agmine adventabat, haud dubiam illis cladem illaturus, & densus ab equitatu ortus pulvis ex propinquo eos adesse significabat: tum revocati ad signa milites ferocia, & virtute sua negligentiam correxere. Haud plus IV millibus Austriacorum Veteranus habebat, supra XII millia armatorum Visirus. Et virtutem, ut alias, fortuna adjuvit. Victi Otomani; Germani geminata victoria ovantes cum moris sui tripudiis ad Tribunum se remisere. Oppidani posteaquam suos pulsos esse acceperunt, trepidantem-

temque refugiſſe Maximum Viſirum, deditionem ulterius non ſuſtinuerunt. Urbe tradita, incolumes ipſi cum conjugibus, ac liberis dimiſſi. Et Aloyſius Badi Regulus eodem fortunæ eventu Teutoburgium expugnavit; Simiontorni præſidium in deditionem accepit; Dardaque urbe, quæ aditum pontis (Eſſeki vocant) in ulteriori Dravi ripa cuſtodiebat, poteſtatis ſuæ facta, pontem ipſum mirabilis ſtructuræ opus igne concremavit. Caprovaro deinde eſt potitus. Ita utrobique re feliciter geſta, hyeme jam adventante, Auſtriaci pariter, Otomanique ab armis diſceſſere.

Operæ pretium eſt confiteri turbare omnia, ac in perniciem vertere civilem diſcordiam, licentiamque: eaſque ſemper libero populo magis exitiales fuiſſe, quam mala omnia externa, inteſtinaque; quam peſtilentiam, aut famem, quam clades alias ab hoſtibus acceptas. Dum Viennæ, Venetiiſque communi ordinum lætitia victoria celebrabatur; Sarmatæ interim perpetuis agitati animorum diſſidiis, ex tot Turcarum cladibus, nullam neque gloriam, neque fructum capiebant. Ver totum altercationibus inter Optimates ab-

absumptum, dilatumque belli tempus est in extremam ætatem. Moldaviam tum demum Joanne duce, petere armis parant. Prope Clepidavam urbem cum pervenissent, signis ibi primum cum hoste collatis, plus mille Turcarum interfecerunt: & Jassium provinciæ urbem opulentam, non tamen validam, pulso Otomano præsidio, occupaverunt: Bessarabiam deinde pergunt ire. Otomani, quia nullam in armis spem habebant, provinciæ agris longe, lateque incensis, iter Sarmatis intercluserunt. Et hi quidem necessitate astricti, ne fame ipsi, jumentaque simul interirent, ex medio itinere regressi cum omni genere vexationis Jassium se redegerunt. Præsidio deinde deducto, priusquam ab oppido proficiscerentur, Cosaci avida prædarum gens, disciplinamque impatiens, parietibus urbis pluribus locis subdito igne, miserabile incendium fecerunt: privata, publicaque ædificia comprehensa, qua fœditate sceleris alienati Græcorum animi sunt ab imperio Sarmatarum. Ingressus regni fines exercitus victi speciem præ se ferens populorum animos tristitia implevit; Cracoviæ quoque renovatus luctus est: mœsti cives, quibus pleri-

rique vel propinquitate vel affinitate juncti in expeditione absumpti morbo fuerant; nec solitæ gratulationes, nec militares joci fuere. Optimates ducum negligentiam, & fortunam incusabant; duces optimatum discordias, & malignitatem vere malorum prædicare caussam. Recreavit paullisper ordines, cætusque hominum fœdus hoc anno factum cum Rege Moscovitarum; quo tamen fœdere nihil mutavit fortuna Reipublicæ; & id ipsum magna mercede emptum: quod ita convenit; ut Kiovia, & Smolesco urbes, Sarmatici antea imperii fines, de quarum possessione ambigebatur, Moscovitarum formulam sequerentur. Hujus tamen fama fœderis conterruit Otomanos vix tum Germanorum, & Venetum bellum sustinentes; nec facile apparebat Turcis, unde arcessendæ vires essent ad novum bellum sustinendum in magna pecuniæ inopia, & juniorum. Delectum namque regii Præfecti in provinciis cum haberent, non facile in utrumque sufficere juventutem cognoverunt; ut & novas legiones, & veteribus supplementum scriberetur. Detractabant etiam vulgo infaustam illam militiam: nec majestas imperii, aut gratia mul-

multitudinem in officio continebat.

At in Peloponneſo, exacto admodum martio menſe, ex hibernis moti exercitus Otomanorum. Moroſinus, cum trepidi ab Chielafa nuntii obſeſſæ urbi auxilium implorarent, navibus a Corcyra profectus, Vitulum primo portum tenuit; terra deinde ducens copias, caſtra in conſpectu hoſtibus dedit: nec majori mole tranſacta res. Otomani ſuis diffiſi rebus, ne inviti ad pugnam extraherentur, caſtris, impedimentiſque relictis, alio alii diffugerunt. Dum hic ſtatus rerum eſſet; Romani, ac Melitenſes valido cum auxilio navium, peditumque in Græciam venerunt; quibus ferociores Veneti copiis, ad Navarinum extemplo oppugnandum contendere. Sita urbs eſt in Cypariſſio ſinu (Pilum dixere veteres) portumque ſcopulis hinc inde clauſum habet tutiſſimam navibus ſtationem: duæ quoque arces defendunt urbem, quarum alteram veterem Navarinum vocant, alteram novum. Primum vetus oppugnari cæptus. Sed Oppidani nullam in armis, aut muris fiduciam habentes, inducias primo, vitam deinde, & libertatem pacti præſidio exceſſerunt. Longior, atrocior-

ciorque novi Navarini oppugnatio fuit. Sepher ei præerat vir manu, ingenioque promptus; augebatque Oppidanis animos fama auxiliorum, quæ contrahi ex vicinis civitatibus dicebantur. Ab terra interim unis operibus, & ex viciniore ſcopulo Veneti muros feriebant: verum cum nec ſatis proficerent, neque in cuniculis ſubſtruendis quicquam ſpei eſſet, propter aſperitatem locorum; omnis tormentorum apparatus in terram eſt tranſvectus; multiſque ſimul locis affligebatur arx. Enimvero Solimanus provinciæ Præfectus multitudine juniorum, emeritiſque ad bellum evocatis, decem millia hominum expleverat armatorum, quibus lætus copiis ad liberandos obſidione ſocios, caſtra ad Navarinum promovit. Venientibus Otomanis Chiniſmarcus vir bello egregius, idemque Venetorum dux inſtructa Chriſtianorum acie occurrit: nullaque deinde interjecta mora ſignis comflixere. Diu dubia pugnæ fortuna fuit; principioque propius periculo fuere, qui vicerunt. Nam & ex ſuperioribus locis concurſavere Barbari in equitatum Venetorum; & aliquanto commoverunt eos; diſſipatique prorſus eſſent, ni

ni intercursu Romanorum equitum, mox etiam Græcorum alæ, & Ligurum peditum inclinans restituta foret acies. Tum certamine æquato, hinc, inde mutua strage illustrium virorum campi replebantur. Cessere tandem Otomani loco; & ut semel dedere terga, celeriorem quoque capessivere fugam: saucius & ipse Solimanus prælio excessit. Domitos hac Venetorum victoria Oppidanos apparuit, qui diutius in pertinacia non manserunt. Oratores eorum ad Morosinum missi. æquas ab hoste conditiones, quibus urbem traderent, impetraverunt. Navarini expugnationem Mothonis oppugnatio excepit. In promontorio urbs est, circumluiturque a mari, nisi ubi terræ cohæret. Ibi arx objicitur, nec prompta oppugnantibus; fossaque satis lata utrumque attingens mare insulæ similitudi nempræbet: pars, quæ maris habet prospectum, nec situ nec arte æque valida est: arcem Veneti opugnavere; & dum muri tormentis substernebantur, ignitorum etiam pilorum conjectu conflictabant Oppidanos, quod ea maxime clade territos deditionem facturos credebant. Haud vana spes fuit: suo moti periculo cives, cum plurimis jam locis

locis ædificia ruerent, urbem, arcemque dediderunt, pacti, ne quid hostile paterentur. His ita gestis, majora aggressi animo Veneti, quando feliciora omnia spondere fortuna videbatur, Naupliam sibi urbem validam, caput Græciæ omnis subigendam proponunt. Dubitatum aliquandiu est, utrum iter per provinciam facerent, an navibus exercitus trajiceretur; quod per ignota loca aptaque insidiis hostium traduci impeditum agmen deberet; navibus Tolonem haud procul a Nauplia trajecerunt. Naupliam deinde exercitus ductus; ibi tumulum urbi superstantem occupaverunt:. ex quo majoribus tormentis objectum ictibus murum quatiebant. Iisdem, quibus hæc agebantur, diebus Præfectus Otomanorum septem hominum millia contraxerat armatorum; dum novas ab Æubea copias operiebatur. Ea fama ad Morosinum perlata, necessitatem pugnæ dedit; ne aucti viribus hostes majore cum fiducia congrederentur. Chinismarco ea pugna delegata est; equitum, ac peditum, quod satis ad inceptum esset, sumere jusso. Morosinus, duobus millibus peditum delectis, classe Argos accessit, latus pu-

pugnantium hoſtium inter commiſſum jam certamen aggreſſurus. Atrox cœptum prælium eſt inter Otomanos, & Chiniſmarchi milites: & e mari, ut convenerat, Moroſinus rem adjuvit: a fronte, & ab latere icti hoſtes parumper toleraverunt pugnam; tota deinde acie Chriſtiani vincebant: tum terga vertere, & capi Turcæ, victoriaque haud dubia eſſe. Fuſis hoſtibus, atrocior coorta oppugnatio eſt: & ne aliqua ex parte Oppidanis remitteretur labor, e mari ſimul, terraque omni tormentorum genere confligtabantur. Inter hæc novæ Turcis copiæ cum veniſſent, vires duplicaverunt; & tumulos quoſdas Venetorum terga claudentes prima illa ferocia ceperunt. Nudus is locus munitionibus erat; quod egere talibus auxiliis non videbatur. Tumultum itaque in caſtris ſubita eruptione cum feciſſent, haud parvam edidere ſtragem eorum, qui primam periculi procellam exceperunt; concurſum deinde e caſtris eſt; latumque iis opportune auxilium: & eodem tempore Moroſinus ex editis in caſtris ignibus id, quod erat, ratus, expoſitis litore militibus; in pugnam induxit. Multum utrinque ſanguinis,

&

& cædis factum: Turcæ pedes fenfim, neque incompofiti referentes, tumulos repetierunt. Eo quoque impetus Chriftianorum illatus; renovatoque prælio, de jugis Otomani funduntur. Hic finis pugnæ fuit: plus mille, & quadringentis hoftium; Chriftianorum, principumque juventutis haud pauci periere. Regreffi in caftra milites lanceis infixa capita interfectorum hoftium per contumeliam civibus oftentantes, tantum pavorem injecerunt; ut defperatis jam rebus, Oratores extemplo in caftra miferint ad dedendam civitatem. In Dalmatia æque profpero eventu pugnatum eft. Sing arcem nequicquam ante petitam armis, hoc anno veneti expugnaverunt: & Butuam a Turcis obfeffam periculo exemerunt. Cum primum Venetiis literæ in Senatu de rebus in Græcia, atque in Dalmatia geftis recitatæ funt; magnificæ Patribus vifæ. Collaudati duces, militefque tam bene de Republica meriti: ante omnes Morofinum ingentibus laudibus onerarunt. Decretum itaque eft, ut Deo Optimo Maximo, templis patentibus, publice haberetur honos: præmiis deinde affecti,

cti, qui Reipublicæ operam navarant: Chinismarco pateram auream magni ponderis munus misere.

1687. Principium insequentis anni fœdum exercitui fuit: ingens pestilentia exorta quietos in Peloponneso morbo implicitos milites tenuit: posteaquam vis morbi remisit, tum belli opus acriori cura est renovatum: & peropportuna expediendis rebus, quæ conceptæ animo erant, ab Italia militum, naviumque supplementa venerunt. Ignara adhuc Venetorum ea pars Peloponnesi erat, quæ Corinthiacum sinum spectat, ac Patrarum. Eam regionem armis invadere cum constituissent Veneti, Patras cursum direxere. Exclusi tamen aditu ab Otomanis, qui litora firmis præsidiis custodiebant. Circumspectare itaque Veneti, ne irrito incepto abscederent, si qui intermissus custodiis locus esset, palustrem quemdam locum haud procul ab oppido conspexerunt, in quem nullo prohibente egressi, paullo post Otomanorum equitum turmam obviam habuere. Dubio eventu certatum est. Otomani prælio digressi in castra ad suos se reduxerunt. Intolerabilem deinde viam invenere Veneti, pro-

procedebantque magna cum fatigatione hominum, & jumentorum. Incerti itaque cum nutarent animis, Græcus quidam locorum peritus consilia expedivit. Longiori via, noctu profecti, castra hostium circumire ab eo jussi, secutique eumdem ducem prima luce diei insequentis in conspectum se hostibus dederunt. Nec tamen ab inopinato visu Venetorum territi Otomani sunt: provectique aliquanto a castris equitatum Italorum ferociter sunt adorti: impressioni pavidus cessit eques: cumque tota illa labaret acies, Germani pedites ab altero cornu acciti, ballistarum ictu, qui terribilis Turcis erat, parumper audaciam coercuere. Sed apparebat nulla vi sisti ferocem Otomanum posse. Cervorum itaque munitione firmatur acies; objiciturque repetentibus pugnam Barbaris. Et hi velut fanatico furore icti in munitiones ruere; & acinace ligneam illam præcidere sepem, tumultumque multiplicare inter hostes. Jam non recipiebat se Christianus miles, sed immemor virtutis suæ incertus trepidabat; cum duces, tribunique objurgare simul eos, & stare obnixos, & redire in pugnam jubebant; & Chinismarcus ante pri-

ma evectus signa admonebat eos victoriarum suarum; „ quo insolito confusi pavore, „ inquit imbellem horretis hostem? nec pu„ dor novæ formidinis, nec ducum vestro„ rum, sub quorum auspiciis toties trium„ phastis, verecundia vos movet; quin in „ partem nunc vocatis dedecoris vestri? Sed „ neque fragiles lignorum munitiones, nec „ turpis, & incerta fuga cladi eripiet: re„ sumite potius antiquos animos, & salu„ tis spem nullam vobis, nisi in armis cre„ datis esse „. Movet milites tum pudor, & ira, tum præteritarum victoriarum memoria; in pugnam feroces redeunt: & primo quidem cervos vellunt, ac cominus rem gerunt; subsidiariis deinde aliquot cohortibus ab classe inductis, firmiores inferunt pugnam. Inclinare tum Otomana acies, & ordines turbari visi: equitatus in turbatos immissus certam victoriam fecit. Cæde, àc fuga omnia completa erant; plus tamen in acie, quam in fuga sanguinis fuit. Secundum hanc victoriam quatuor oppida expugnata sunt, Patræ, & Naupactum, Sparta deinde Corinthusque. Ita, Epidauria excepta, totius Regni possessio erepta Turcis est.

Po-

Peloponneso subacta, invectum extemplo bellum est in proximam Acajam, quo ejecti Otomanæ partis homines, velut in portum confugerant. Athenæ hoc anno captæ, opulentissima olim urbs non viribus minus, quam pacis artibus, & celebritate ingeniorum pollens; nunc revulsorum vestigiis ædificiorum, & gentis vetustate memorabilis. Et in Dalmatia Singi arcem utrique genti opportunam, & quæ multa provinciæ castella in sua retinebat potestate, oppugnavere Turcæ Duce Ataglicco illustri inter eas gentes viro, & qui nisi Sing recepto, agrum sibi ademptum, urbi propinquum recuperare diffidebat posse. Oppidani principio obsidionis per nuntios ad auxilium urbis excivere Præfectos Venetorum. Hi cum exercitu profecti haud procul ab hoste locum castris cepere. Atagliccus minus multitudini suæ confidens, quæ subitaria, inconditaque erat, cum haud æquiquum sibi prælium cerneret instare, sine mora copias abduxit. Et novum Castellum urbem validam, maritimamque, firmum ubi Turcæ præsidium habebant, hac eadem æstate Veneti obtinuerunt, opportunum bello tempus rati, quo

Romani, ac Melitenſes peſtilentiæ ingraveſcentis metu ex Peloponneſo profecti in Dalmatia Venetis ſe conjunxere. Et ab Roma, & ab Etruria, & ab Genua, obſtrictis haud vana religione animis, naves aliæ in auxilium miſſæ. Validus itaque numero, & genere militum Chriſtianus exercitus erat; certamque ita ſpem ſibi faciebant urbis capiendæ. Exacto admodum menſe Auguſto Oppidanis illatum eſt bellum. In Aſcrivio ſinu paucos a mari paſſus applicata colli urbs eſt oblonga forma: ima ejus plana ſunt jacentia ad mare, alluunturque fluctibus, ſi majores aliquanto moveantur. Crebris turribus defendebantur mœnia antiquo ſtructuræ genere, ſpatium amplectentia mille ferme, & quingentorum paſſuum. Turcæ ex præſidio in deſcendentes ex navibus hoſtes irruperunt; coortumque prælium ſatis vehemens ab utraque parte; donec, mutua cæde facta, in collem urbi imminentem ſe receperunt. Fuſis & hoc loco Turcis, Veneti pluribus ſimul operibus premebant urbem: & quotidianæ ſimul eruptiones fiebant, nullo ſane memorabili eventu. Enituit in hoc tumultuoſo pugnæ genere Melitentium nobilium vir-

virtus, quorum nonnulli ferro periere. Sed jam valido cum exercitu appropinquare afferebatur Bossinæ Præfectus, ut sociis extrema ope indigentibus auxiliaretur; quo nuntio in castra perlato, coacti Venetorum duces sunt majorem militum numerum in eam castrorum partem contrahere, quæ Epidaurum (Ragusa est) & Bossinæ spectabat viam. Eo vis omnis certaminis conversa; apparuitque nec numero militum Venetos, nec virtute Otomanis præstare. Castra Venetorum adorti, Morlacorum stationem, pulsis propugnatoribus, ceperunt; & in Venetos quoque impetus versus, qui paullatim turbabantur consternatione aliorum. Ibi Franciscus Grimani, subsidiis in pugnam oppositis, increpare, atque exprobare metum militibus, & castigationibus in pugnam revocabat. Sed increbescebat in castris tumultus, nec procul a fuga res erat, cum Cornarus Imperator Herbesteino Melitensium Præfecto cernenti & ipsi militum trepidationem; „ vides ne tu, inquit, Joseph, pro-
„ ximam nostrorum fugam, & victoriam
„ Barbarorum? at una mihi spes videtur
„ esse salutis nostræ, si tu triremibus e mari

 „ nu-

„ nudum ab ea parte, atque inermc latus
„ hoftium opportune inceffas. Dum tu hoc
„ feceris, mei me equites in pugnam fe-
„ quentur. Divi nos Chriftianæ Reipublicæ
„ Præfides, noftraque virtus, ut fpero, pro
„ patria, & Religione pugnantes expedient.
Herbefteinus ubi hæc Imperatoris dicta accepit, Melitenfes extemplo milites fuos confcendere triremes juffit, litorique admovere eas lateri Turcarum averfo. Celeriter id factum, nudofque exinde, & obvios ictibus Turcas tormentorum velut procella afflictavere. Nova hæc, atque inopinata pugna turbavit ordines Otomanorum. Et Cornarus juffis equitibus permittere in hoftes equos primo influentes repreffit; coortis deinde undequaque majore ardore in prælium Venetis, Turcas diffipavere. Nihil tamen ex tam infigni clade fuorum Otomani pertinaciæ fummiferunt; novaque ab fuis opperientes auxilia bellum trahebant. Eam ut obfeffis fpem præcideret Cornarus, ad diftringendas pluribus fimul locis vires Otomanorum, copiarum, ac navium partem, Petro Duodo Præfecto, Macedoniæ, ac Dalmatiæ litora, velut eo trajecturas, circumvehi juf-

jussit; & ipse, tentatis Græcorum animis, qui turrim prope litus custodiebant, donis, pollicitationibusque ad proditionem præsidii adduxit eos. Ita parte urbis capta, cum diutius spem sustentare Oppidani non possent, æquis conditionibus urbem tradiderunt. Hæc in Dalmatia gesta.

Tentatum hoc anno a Turcis est, ut Budæ præsidium fraude opprimeretur, Centurione quodam corrupto, qui instruxerat eos certis notis, constitueratque qua nocte, & qua porta ingredi tuto possent; Tribuni diligentia, qui militibus Budæ præerat, discussum est. Et in superiori provincia inter nonnullos homines perniciosa Reipublicæ consilia agitabantur. Calamitatem patriæ molientes Carafa sedulo oppressit; restitutaque Austriacis tranquillitas supplicio proditorum. Irritavit tamen hæc scelestorum civium pœna multorum animos, quos vel culpa damnatorum, vel affinitas attingebat. Hæc domi: foris varii rerum exitus fuere. Mandatum primo vere ab Cæsare bellum est adversus populos Servianos ducibus Carolo Lotharingiæ, & Massimiliano Bavariæ Regulo. Hi principio rerum suis quisque copiis

ab Regno profecti, communicando tamen inter se consilia, moliebantur, instruebantque omnia, quibus ad bellum opus esset; & nonnullas Pannoniæ urbes præsidiis firmavere; conjunctis deinde copiis, quod ita terribiliores hosti se credebant fore, Dravum amnem sunt transgressi. In altera ripa fluminis valido cum exercitu restiterat Maximus Visirus. Hic sub adventum Austriacorum, apte simulando metum, cessit in intimas provinciæ partes. Apertæ namque pugnæ discrimen fugiens spem ipse habebat, in desertam, ac paludibus impeditam regionem pertractis, facile omnem commeatum interclusurum esse. Simulata Visiri fuga vanam Austriacis fiduciam auxit: certa itaque ingruebat clades, ni callidum Barbari consilium fortuna irritum fecisset. Sensere protinus Germani inconsulte se progressos in locum haud facilem ad receptum, angustiusque cibo uti; quod nec rapto ex agris vivere, neque ex vicinis, urbibus commode commeatus provenire possent, satis antea contra vim munitis; & in id maxime intento Otomano, ut sparsos adoriretur. Et Viennæ, cum primum exercitus periculum est

eſt nuntiatum, diu meſtam civitatem tenuit; ſed quo potius occurſare conſilio, aut quibus viribus, certa ſententia non ſuppetebat. In caſtris quoque cum in diverſum opiniones tetendiſſent; eo demum Conſilii ſententiæ decurrerunt, ut in Pannoniam exercitus reduceretur, quo cedentes perſecuturum Chriſtianos, Turcam apparebat: & ſpem concipiebant animis, pugnæ ibi nequicquam diu expetitæ locum fore. Minore, quam timebatur jactura, exercitus eſt traductus; inſecutique Germanos Turcæ ultra Dravum, haud procul ab Darda locum caſtris cepere. Hic fortuito, ſeu potius divini conſilii neceſſitate victoria Chriſtianis eſt parta; pugnaque ex utraque parte commiſſa, quam tamdiu declinaverat Viſirus. Ejus maturandæ cauſſa extrinſecus venit. Siclos oppidum, ac Teutoburgium, quæ Auſtriacorum præſidiis tenebantur, intercluſa ab ſuis, ad omnem vim expoſita cum viderentur; placuit inde præſidia deduci, ne a Barbaris opprimerentur. Ad eos tuto milites in caſtra reducendos Lotharingiæ Regulus cum parte copiarum Teutoburgium eſt profectus. Hic Maximus Viſirus haud dubiam victoriæ ſpem na-

nactus, si duplici ferme numero suorum Germanos aggrederetur, ad prælium milites incitavit, paravitque. Et Bavarus ubi hæc apud hostes consilia esse accepit, per nuntios Carolum certiorem facit; instructisque interim copiis opperitur hostem. Carolus ad nuntium imminentis pugnæ cum suis in castra regressus cœpto certamini, & victoriæ suorum intervenit. Visirus namque multitudine sua fretus in Vandelicios extemplo, quæquæ ibi auxilia Germanorum erant, ferociter incurrerat: principioque pugnæ, ut in pari spe, par quoque vigor, & animus utrisque fuit. Hinc certamen utrisque crescere, & æquare hostium numerum sua disciplina Germani. At cum perseverantius, quam speraverant Turcæ, & resistere hostes, & vim inferre viderunt, tum animis frangi, & segniter tolerare prælium: mox gradu motos, & fugam spectantes Bavarus profligavit. Octo ferme eorum millia sunt interfecti; prædaque tam in acie, quam in castris ingens parta. Carolus post victoriam suorum superiorem Regni provinciam transgressus Transilvaniam hostiliter intravit, Regulo ejus Michaeli Abaffo maxime infensus ob in-

insidam in hoc bello societatem. Cum ob recentem victoriam Austriaci omnem eam terrore provinciam implessent, facile in potestatem Cæsaris redegerunt: munita deinde Germanorum præsidiis nobiliora oppida; vectigal, stipendiumque genti est imperatum. Et eodem tempore, cum ultra Dravum fugaciter Visirus se recepisset, Dunevaldus in Pannonia cum duabus legionibus a Carolo relictus, fuga, & consternatione hostium prudenter est usus. Pontem primo, quem ad Acunincum Turcæ fecerant, & quo his transitus in superiorem provinciam dabatur, incendit, diripuitque; Sclavoniæ deinde urbes nonnullas aut vi subegit, aut per conditiones indeditionem accepit. Ita duabus hoc anno, confinibusque Regno provinciis Leopoldus est potitus, minore quidem mole rerum, quam antea ignobilium Castellorum possessio est parta. Ob tot, tantasque Germanæ gentis victorias Viennæ, atque in Austriacis provinciis D. O. M. & privatim in templis gratiæ actæ, & publice Christianæ plebis supplicationes decretæ, & sacrificia a Pontificibus per multos dies facta; & Deiparæ Virgini ob easdem res bello bene ge-

geſtas, quæ vero ſuis precibus debebantur, dona in ſuis templis ſacraverunt. Hoc ſtatu rerum Joſeph Leopoldi filius, proſequentibus Auſtriæ proceribus, regioque alio apparatu Poſoniam venit; eaque in urbe magno populorum conſenſu, inclinatis tum primum in Auſtriacam dominationem animis, ſolemni inter eas gentes cœremonia Rex eſt conſalutatus.

Apud Turcas iiſdem diebus tumultuatum in caſtris eſt: debita ſibi ſtipendia expoſcebat miles; & vim ſe ducibus, ac Viſiro ipſi illaturum minitabatur ni extemplo ſolverentur. Nec auctoritate, nec gratia apud ſeditioſos valuere: vi victum imperium erat; apparebatque contemptu laborare duces apud exercitum ſuum; poſtquam prudentiora belli conſilia multata a fortuna erant. Pecunia ad compeſcendos motus cum deeſſet, invaleſceretque ira magis, atque odium efferatæ multitudinis, parvam Viſirus ſcapham cum amiciſſimis quibuſdam Tribunis conſcendit, atque Albamgræcam Iſtro amne perfugerunt. Tum militari conſenſu Hiris, cui Sciaus cognomen erat, Imperator eſt appellatus. Circumfuſi cum ſalutarent, forti animo eſſe jubebant; & quod bene verteret, Bizantium ſe eum ſe-

ſecuturos profitebantur ad reſtituendam priſtinam imperio felicitatem. Dum in ſpem novarum rerum erecti hæc, atque his ſimilia vociferarentur, Maometi, regiorumque miniſtrorum palam nomina execrabantur: „ corruiſſe ſtultitia illius florentiſſimi imperii „ vires, invictas ante, & Chriſtianis inſu„ perabiles: hos autem ſocordia ſua, & ma„ lignitate bellum fraude, contra jusjuran„ dum ſuſceptum, funeſtum inſuper Regno, „ & Religioni feciſſe: Hyemem num ſe „ procul ab domo, ſub pellibus durare; ma„ jorem anni partem bella perſequi, & per„ vigilare in armis ut eorum avaritiæ, & „ libidini inſerviatur „? Invitum deinde, & cunctabundum Hirim, ſeu potius modeſtum animum ſimulantem perpulerunt; ut motis inde caſtris ad urbem iter intenderet. Manaverant interim ab exercitu hæc conſilia in urbem, trepidis in eam nuntiis allatis; cujus inopinato conjurationis periculo perculſus eſt Maometi animus. Legatus itaque ab Rege in caſtra eſt miſſus; delataque ad Hirim inſignia imperatoriæ dignitatis; ut appareret militare illud ſuffragium nominationem Regis ſecutam eſſe. Ita militum animos

mos expleri credebat Rex; & juſtum precario imperium Hirim prælaturum. Sed nihil mutavere ſententiæ ſuæ milites; ingreſſique mox urbem Hiri duce, magno ordinum conſenſu, Maometo imperium abrogavere: ſuffectus deinde frater minor Solimanus neque ingenio, neque experientia melior. Tranquillitas hæc Turcarum tot ſeditionibus quæſita, quæ vano quodam felicitatis omine deceperat animos, diuturna non fuit. Milites enim, qui Viſiratum Hiri, Regnum Solimano detulerant, & omnia per ſe exiſtimabant poſſe, & æquam beneficii mercedem, ſi ſuæ licentiæ inſerviretur. Hiris principio novi Regni, infirmis adhuc poteſtatis ſuæ viribus, multa prudenter diſſimulabat; poſteaquam nec libidini, nec avaritiæ finem faciebant, ſuam ſollicitus vicem agitare animo cœpit, quonam modo militarem illam juventutem potiſſimum cohiberet. Nihil in præſentia utilius cogitatum eſt, quam ut honoris titulo ſeditioſiſſimum quemque ablegando procul, conjurationi detraheret vires. Salutare hoc Reipublicæ conſilium ubi patuit militibus, extemplo ſeditio recruduit. Hiris primo ab his interfectus eſt, alii deinde Miniſtri Re-

Regis. Hic Solimanus, Divanique primores, quoniam nec auctoritate eos, nec vi subsistere possent, ne motus ille in caput suum verteret, intenti, multitudinem ad arma concitaverunt. Ab sanctiori templo vexillum Maometi legumlatoris sui, quod apud eos maxime venerabile est, depromi est jussum; ut religionis specie objecta, opem periclitanti patriæ cives ferrent. Tum undique coorti nobiles homines, coorta plebs (supra centum millia fuisse scribunt) seditiosos sunt adorti. Haud magno deinde momento profligavere: plerique eorum domi latitantes, fugientes alii obtruncati sunt. Ita tumultus quievit. Belli deinde finiendi consilium initum, quod non seditionum minus, quam cæterarum calamitatum caussam esse probe sciebant. Insita superbia genti obstabat, ne pax, qua indigebant, exposceretur, assuetis jamdiu, & impune inferre bella, & pacis imperare conditiones. Media ergo sententia placuit; legatosque ad Cæsarem mittendos decreverunt Solimani Regis nomine, veterisque amicitiæ reconciliandæ caussa, quam non bello violatam, sed Maometi fraude interruptam simulabant: ita re-

no-

novari fœdus si non æquis, tolerandis saltem conditionibus de industria posse. Solimanus legatos extemplo nominavit Sulphicarem Effendi, & Maurum Cordatum, qui mandatis, commeatibusque ab eo acceptis, Belgradum sunt profecti.

In Sarmatia interim privatorum commodis Respublica prodebatur; iræque adversus Otomanos susceptæ in cives exercebantur. Joannes, qui ad civiles discordias tollendas nequaquam tantum virium in regia dignitate, quantum virtutis, consiliique habebat, gloriæ suæ plerisque obtrectantibus, militeque licentia corrupto, domi potius in otio vivere, quam foris infelicis belli dux malebat esse. Nulla itaque expeditio militum fuit: exercitusque in confinibus Regni Tauris oppositus, ne in Sarmatiam transcenderent: vastata tamen ab his Voliniæ pars est; prædaque hominum, pecorumque abrepta. Et pari successu rerum Moscovitas Crimeam infesto agmine ingressos, seu pestilentia in castris orta, seu Cosacorum fraus (utrumque enim tulit fama) finibus provinciæ arcuit. Nequaquam pro tanti imperii opibus, ac præsenti terrore (constabat enim

vix

vix credibilem multitudinem armasse) gestum bellum est. Tauri deinde, liberata ab hostibus provincia, ultra Chioviæ fines incursavere.

Mortuo hoc anno Venetiis Justiniano Reipublicæ Principi (Ducem ipsi vocant) Patrum suffragiis Franciscus Morosinus absens sufficitur. Hunc civilibus, militaribusque decoribus inter omnes haud dubie præstantem Peloponnesus nuper pari gloria, ac felicitate subacta venerabilem Reipublicæ faciebant. Initio veris consultationes inter Venetorum Duces habitæ, certatumque diu sententiis; utrum Creta insula tentanda armis esset, cui incepto orti ibi motus occasionem aperire videbantur; an Æubeam continenti proximam aggredi præstaret; cum Chimismarcus difficilem Calcidis expugnationem diceret situ suo, & munitionibus; & nullam satis firmam spem ostendi, ni maritima simul omnia, ac terrestria auxilia intercluderentur; quod nemini dubium erat effici nullo modo posse. Posterior tamen sententia placuit; quod continuata provinciarum possessione, facilius deinde Græciæ imperium defendi posset; Atticaque omnis,

& Beotia auxiliis fuorum exclufæ Chriftianorum armis ceffuræ credebantur: plurimum quoque fiduciæ habendam effe cenfebant in fortuna hoftium, & fua. Eventus docuit, raro impune contemni hoftem poffe. Hoc decreto Morofinus cum & ab Elvetia, Germaniaque mercenarios milites, navefque ab Italia fubfidiarias accepiffet, numero ac genere eorum validus Poro profectus Æubeam navigavit. Adverfi diu venti variis in Arcipelagi ftationibus claffem tenuerunt; poftquam lenita vis ventorum eft, expofitæ tum litore copiæ, Calcidemque exercitus eft ductus. Æubea infula arcto admodum freto (Euripum veteres vocavere) a continente Beotiæ dividitur. Ægeum mare undequaque fpectat, & infulas ipfius, nifi qua ab ortu Solis Maliacus ei finus objicitur. Urbs continenti proximior eft, cui ponte conjungitur, extructis utrobique arcibus, quæ aditum prohibent. Diuturna, nec felix oppugnatio fuit. Otomani namque, quique ibi præfidiarii Oppidani erant, bellicofum utrumque genus crebris eruptionibus defatigando Venetos, opera turbavere: & peftilentes circum agri denfis vaporibus graviter

ter exercitum affecere; ut contacta lue corpora vel exanimarentur, vel militaribus muneribus non sufficerent: plerique nobiles viri hac tabe absumpti, inter quos Corbon equitum Magister: nullius tamen miserabilior mors quam Chinismarchi fuit: ferro alii cecidere. Horum clade virorum fractæ quoque exercitus vires sunt; nec obsidionem deinde, quamvis exteriore urbis muro potiti essent, pari animo, atque ardore toleraverunt. Omissa itaque oppugnatione, Atticum circumvecti litus in Peloponnesum transmiserunt: ibi præparata hiberna invenere. In Dalmatia, nisi quod Kin Oppidum est captum, nihil aliud memorabile egerunt. Mœsti in urbe Veneti castrensia Ducum consilia palam carpebant: Senatus vero fortunæ, quam benemeritorum civium levitatem incusare; prœmiis etiam honestare eos, Morosinum morbo, & mœrore effectum honoratissimis literis est consolatus.

At in Pannonia omnia aliter gesta: nec virtus militi, nec fortuna defuit. Sed antequam ad profectionem moverentur exercitus, Agriæ nequicquam armis conflictati Turcæ, fame tandem, quæ natura vinci non pote-

rat subacti, in potestatem Cæsaris venerunt. Eadem victi necessitate qui Moncatz incolebant urbem Germanorum imperium acceperunt. Longe omnium in Pannonia validissimum id erat oppidum; incluseratque sese ibi cum fidissimis sibi cohortibus Pannonorum Techelii uxor Elena Sdrino; cui nequaquam muliebre ingenium inerat, sed virilis ad omnia dexteritas, laborum, vigilarumque patientia naturalis. Hujus unius Fœminæ consilium urbis deditionem morabatur. Emericus frustra conatus opem Oppidanis ferre, metu Austriacorum procul inde abscesserat, jam tum occasum urbis suæ, uxoris, liberorumque captivitatem præsagiens animo. Cum oppugnatio Austriacis parum successisset, obsidione perdomuere obstinatos cives: nam & ad ultimam rerum omnium inopiam adducti, intestinis quoque diffidiis, & seditionibus laborabant, nonnullos eorum ad Austriacos rem palam trahentibus; quod malorum omnium finem deditionem urbis credebant fore. Eam cum serio parari a plerisque nobilibus excepisset mulier; ut minimo suo damno esset, præoccupavit facere. Carafæ traditum oppidum est,

est, a quo in fidem accepti cives, ipsa, liberique sub honoris titulo, revera ne aliorum in Pannonia motuum caussa essent, Viennam missi: benigne, ac munifice apud Cæsarem liberi ejus habiti, educatique. Hæc partim hyeme, partim primo vere gesta. Aliæ insuper hoc anno expugnatæ urbes, inter quas Albaregalis: & in Serviam translatum bellum est duce Massimiliano. Trifariam Otomanorum provincias Germani invaserunt; ut ad tria simul occursantes loca Turcæ, debiliores in Servia essent, quæ caput belli erat futura. Aloysius Badi Regulus, trajecto Savo amne, Bossinam ingressus, eo Otomanorum copiarum partem avertit; multisque deinde levioribus præliis fuso hoste, provinciam longe lateque depopulatus est. Et Caprara, qui Carafa collega est additus, citra Savum constitit, bellum in Sclavonia gesturus. Horum adventu Tribunorum territi qui Acuninci Otomani erant, nullam armorum sortem experti, vacuam hosti urbem reliquerunt. Hæc fuga Turcarum faciliorem Savi transitum Massimiliano fecit, qui gloriæ cupidus, nihil tum antiquius Albægræcæ (Belgradus est) op-

pugnatione ratus, validum eo exercitum ducebat, & validum bellicorum tormentorum apparatum. Sub adventum ejus magno tumultu cepiſſe arma Servianos populos ſatis conſtabat, coactamque ſub ſigna juventutem, legioneſque militum ultra Savum diſpoſitas; ut tranſitum prohiberent. Promotis utrinque ad flumen caſtris, tranſitus Auſtriacis cum non daretur; ſteterunt aliquandiu ſuper ripam utræque acies dirimente amne. Intentis tamen eo potiſſimum Otomanis, quo oppoſita Auſtriacorum caſtra erant, ne flumen trajicerent; Maſſimili anus felici conſilio uſus in ſuperiorem amnis partem, quæ minus diligenter cuſtodiebatur, quinque peditum millia, ſtrenuos quoſque, ſtrenuo ſub duce miſit; ut tranſitum tentarent. Noctu hi magno cum ſilentio profecti, ratibus, quas præparatas ante plauſtris portaverant, amnem ſunt tranſgreſſi: munivere deinde qua aptiſſimum ad naturam loci erat, amnis ripam: poſteroque die influentes eo copias Turcarum (ſenſerat enim tranſiſſe hoſtes) pertinaci admodum certamine ſummoverunt. Tum timore perturbati Turcæ, quos interpoſitum magis flumen, quam

quam virtus contegebat, ne Albægrzcæ quidem mœnibus se tutos fore rati, Præfecto ipso fuge duce ac comite præsidio excesserunt: tria admodum armatorum millia, selectum juventutis rubur, ad defendendam urbem restiterunt. Priusquam ignaviæ suæ puderet Otomanos, operibus circumsepire urbem festinat Bavarus: nec labori deinde, diligentiæque aut sumptibus pepercit; incitandoque donis militum animos, assiduos in opere faciebat. Et jam quatiendo muros aliquantum urbis nudaverant; cum adoriri eam Bavarus, & per patefactas muri ruinas penetrare milites jubet. Oppidani, quæquæ ibi præsidiariæ cohortes erant, impigre primo arcebant a muro hostes: sed integro semper certamini paucitas fessos objiciendo eos, intolerandum Germanorum impetum aliorum aliis succedentium faciebat. Obstinati tamen mori, quam servitutem pati Turcæ eumdem pugnæ, ac vitæ suæ finem dedere: cæsi ita in medio fere omnes: Austriaci difficilem, nec incruentam victoriam retulerunt. Et arx eodem die capta est, quam ...gnatoribus vacuam, refertam eandem ...m rerum copia invenerunt. Paucis

 ante

ante diebus, quam hæc gesta sunt, legati Otomanorum in castra pervenerunt: benigne a Massimiliano excepti: spectaculum haud gratum oculis, cædem suorum, gravissimæ urbis excidium habuerunt. Secutis inde proficiscentem Bavarum, Viennamque ingressis publice hospitium locatum est. At Massimilianus non communicata cum alio victoriæ suæ laude, fundatoque Albægræcæ statu Viennam rediit, ubi & ab Socero Cæsare, & ab Nobilitate encomiis, & gratulationibus est exceptus. Æquavit, quod haud facile est, magnitudine, ac modestia animi Carolus armati gloriam Bavari. Æger namque Viennæ cum substitisset, vacuaque per idem tempus Pannonia provincia Massimiliano tradita esset; altercatio deinde orta est, ubi ille convaluit, inter utriusque partis homines. Et suam ambo præclari illi duces provinciam contendebant esse: gratiaque & ratione sibi vindicabant. Sed Massimilianus, ubi hæsitare Leopoldum, nec certam se provinciam habere intellexit; indignatus, quod eam velut vicarius accepisset, socero injuriæ admonito scripsit, abducturum se ab exercitu legiones suas, si provinciam adimeret. Hac

Ba-

Bavari denunciatione victus Carolus, omni prorsus contentione abstinuit: maluit namque non interesse bellicis laudibus, quam æmulatione sua bono publico obstare. Enim vero, ut historici, non Oratoris munus suscepisse videar, quanto cumulatiorem gloriam consecutus esset, si vel legatus apud Bavarum, vel privatus mansisset in castris, pulcherrima veterum exempla imitatus; & consilio, operaque Rempublicam adjuvisset? Cætera vir memorabilis, nec belli minus, quam pacis artibus insignis, idemque Christianis vere plenus decoribus, quem illustrioribus ætatis suæ imperatoribus merito comparem.

In Sarmatia idem in singulos annos rerum orbis voluebatur; & gliscere Optimatum inter se diffidia, nobilesque inimicitias eorum esse damno Reipublicæ. Populati effuse agros, urbesque Leopolim usque Tauri, magnam prædam hominum, pecorumque abegerunt. Exercitus Sarmatarum extremo anni motus, ut Moldaviam repeteret; cum ad Regni fines pervenisset, nulla satis certa caussa domum est reductus: cujus inutilis profectionis, & perniciosi reditus duces ipsos pu-

pudere satis constabat. Nec Moscovitæ felicius bellum gessere. Increpitare soliti Sarmatis segnitiem, & quod suam belli partem deseruissent, suis ipsi quoque finibus tenuerunt sese: & nisi quod in Taurico agro, ad comprimendam gentis ferociam, arx constructa est, nil aliud hoc anno actum: pecunia quoque Otomana duces Cosacorum corruptos fuisse invenio; ultimoque supplicio in quosdam eorum animadversum esse.

Legati Otomanorum paucos post dies, quam Viennam pervenerant, in regiam sunt introducti. „ Cæsarem Solimani nomine salutaverunt: accepto eum nuper avito gentis imperio, nil cogitasse prius, quam publicæ omnis, privatæque fortunæ suæ amicum Regem certiorem faceret: detestari bellum a fratre illatum; & si Cæsaris animus a cladibus belli abhorreat, pacificari etiam posse „. Visa legatorum oratio est non minus decora ipsis, quam magnitudini conveniens imperii Romani. Benigne iis responsum est; „ gratam eam Cæsari legationem esse; amicitiamque, si per eum steterit, propediem reconciliatum iri „. Mandata, quæ de pace haberent, cum

cum Starenibergo, & Kinsko, & Carafa agitare jussi. Huic concilio legatorum non Sarmatæ modo, Venetique affuerunt, sed missi quoque ad Czaribus Moscoviæ legati (duo tum germani fratres Moscovitarum Regnum tenebant) quod bello fœderati Sarmatis, hujus quoque societati pacis adscribi volebant. Multæ, ac longæ disceptationes fuere in tot variarum gentium consiliis. Transilvaniam sibi, præter omnes Pannoniæ comitatus retinere Austriaci volebant; Peloponnesum Veneti, Epidauro (Malvasia) adjecta, & nonnullis in Dalmatia urbibus: altercatio major cum Sarmatis orta, qui Moldaviam, Vallachiamque pro tot factis in in eo bello impensis, & sui olim Regni provincias repetebant. Negare Turcæ pacem sincero animo velle Sarmatas, Venetosque, quod æquas conditiones abnuerent: increpitabantque superbiam postulatorum. Et revera haud scio, an tenaciores Turcæ in suis conservandis finibus, quam suorum prorogandorum avidiores Christiani fuerint. Transilvaniam retineri ab Austriacis levius legati ferebant, quod bello captam possiderent; nullaque ostenderetur spes eam recuperandi.

Non

Non remittentibus Christianis, mirari se, Otomani ajebant, ut cum usu gentium receptum esset, ne bella perpetuentur, ut ex parte retineantur, quæ bello sint capta, ex parte restituantur: nunc ea Venetos, Sarmatasque sibi arrogare, quæ Otomani vetusto jure possidereant: negabantque se quicquam pacisci velle, quo Solimani imperium minueretur. Ita, infecta re, concilium dimissum est.

Cum præter Otomanicum bellum nulli dubium esset, Gallicum quoque, nec contemnendum imminere; traducendosque exercitus & in Pannoniam & ad Rhenum adversus Gallos esse; duæ hoc anno provinciæ ab Leo-
1689. poldo Cæsare sunt decretæ. Hæc caussa fuit, cur proximo deinde vere, duobus exercitibus conscriptis Carolus Lotharingiæ, & Aloysius Badi Regulus in suam quisque provinciam diversi proficiscerentur: Pannonia Aloysio, Gallia Carolo evenit. Ab Gallici narratione belli juvat me abstinere, vix sustinentem onus Otomanarum rerum. Ac velut belli principium, ad ea quæ postea gererentur, Austriacis lætum omen esset, Zighet urbs valida in Pannonia, atque opulenta præsidium

dium eorum accepit. Et Moravam transire amnem Serviam interfluentem Aloysius, Nisumque aggredi parat: horreum ea urbs Turcis erat: & usurum credebat se peropportune frumento parato hostibus, inopiamque facturum iis; & id magni momenti futurum rebatur ad cætera perficienda, quæ cogitarat. Sed incommoda ad Nisum via, præsertim gravi armaturæ, & multitudo Barbarorum, qui transitum prohibere poterant, inceptum turbavere. Duplici namque ferme numero Otomani in ultiori ripa constiterant: præerat illis Arappus strenua inter suos virtute vir; crescebatque in dies Turcis copia militum ex vicinis castris, quæ ad Sophiam idoneo loco posuerat Visirus. Et hic non propulsaturus magis finibus suis bellum, quam illaturus hosti videbatur. Postquam Turcarum ad Moravam valida manus fuit; præmisere quasdam Taurorum equitum turmas ad tentandas vires Austriacorum: flumen deinde Otomanæ omnes copiæ, nec ulla memorabili difficultate superaverunt: tum ad expugnandam Albamgræcam, quod in principio propositum erat, contendunt. Id ut facilius obtineretur, castra

ſtra inter Semendriam Auſtriacorum horreum, & Albamgræcam opportuno campo locaverunt. Nil itaque medium Cæſarianis erat: commeatibus excluſi aut ceſſuri inde videbantur, aut in pugnam nec æquis viribus deſcenſuri. Sed Aloyſius numero quamvis copiarum inferiorem videret ſe, genere tamen militum ſuperiorem multo hoſtibus ſciebat eſſe; nec virtute minus diſciplinaque fidendum in bello, quam multitudine copiarum. Ita ſua quiſque contentus vice pugnam non detrectabant. Multa interim parva prælia fiebant inter præcurſores Turcas, & levem armaturam Auſtriacorum; donec univerſæ in diſcrimen pugnæ ventum eſt. Primi Turcæ tubis dant ſignum, inconditiſque, ac diſſonis vocibus clamantes Germanos invadunt. Apud hos arcebatur magis, quam inferebatur pugna: præceptum namque Præfectis ordinum erat, cohiberent a prælio milites; obnixi tantum armis, corporibuſque vanum repetentes Turcas impetum defatigarent. Nec aliter geſta res. Oneratum eſt primo Germanis ſiniſtrum cornu; exceptique belliſtarum ignearum ictu Turcæ, firmiſque & denſis ordinibus, neque

per-

perrumpere, neque movere gradu Germanam aciem, & vano deterriti conatu, aliam proinde ſpectare pugnam cœperunt. Tota ergo Otomanorum vis in dextrum inclinavit cornu Germanorum: ſed eandem ibi fortunam cum inveniſſent, feſſos demum diu ſtando, fruſtraque jactando ſeſe in hoſtes ſimul animus, ſimul pugna defecit eos. Tum Aloyſius inferri ſigna, & prælium capere ſuos jubet; „ i, miles, clamans; redde hoſti illatam antea tibi vim: feſſum integer adeptus, tua eundem conſtantia victoriam deſperantem haud magno momento profligabis „. Hæc ubi Aloyſius dicta ſuis dedit; totam alacer militum clamor circumvaſit aciem poſcentium pugnam: & ipſe calcaribus ſubditis, equum in hoſtes mittit, inter prima avolans ſigna. Urgent Auſtriaci Otomanos univerſis viribus: & hi nequaquam pari animo impreſſionem accipiunt: ſed labare extemplo, & turbari acies, ſimul pluribus locis hiſcere; donec primis confuſis ſignis, hoſtilem quaſi tumultum ſuis ipſi ordinibus præbuerunt. Tum fuga diſſipati omnes; impedimentiſque, & caſtris amicis palati in Serviam refugerunt. Victores

res Germani castra ingressi ingenti præda potiuntur: & majorum tormentorum plus quam centum inventa; armorum aliorum magnus numerus. Neque hic finis belli fuit: cæsis iterum ad Nisum Turcis, qui justo admodum exercitu facto, prope mœnia ejus urbis posuerant castra, urbem omni rerum genere opulentam occupaverunt: & ignobiles alias civitates, castellaque vel vi, vel metu subactas in deditionem acceperunt. Solimanus Rex, Divanique primores, qui de belli eventu solliciti, Sophiam venerant; postquam cædem suorum, fugamque exercitus audiverunt; Sophia ocyus demigrantes, maximo, quo cursu poterant, Adrianopolim contenderunt.

In Peloponneso ver omne a Venetis in apparatu belli consumtum est; terrestribus deinde maritimisque collectis auxiliis, classem C. navibus validam comparaverunt. Pars earum Augustino Sagredo attributa est ad Corinthiacum sinum custodiendum: & ne in Peloponnesum ex Acaja Otomani transcenderent, valido Isthmum munivere præsidio. Tum Epidaurus oppugnari cœpta: in monte posita urbs est, atque insulæ modo, mari

mari undequaque alluitur; ponte, qui ſaxo conſtructus eſt, jungitur continenti. Ad pontis caput turres quaſdam ædificavere Veneti; quod agri circa materiæ affatim ad id opus præbebant. Omni deinde bellicarum machinationum, operumque genere urbem oppugnantibus nihil proſpere ſuccedebat: eludebatque operoſam Venetorum induſtriam, & virtutem Otomanum præſidium: veteranorum namque ſexcentorum militum valida cohors inſulam defendebat: frumentique & bellicorum inſtrumentorum vis ingens præparata erat ad bellum ſuſtinendum. Aquarum defectus, quas perennes inſula non habet, Venetorum ſpem ſuſtentabat; donec ea quoque decepit eos. Producta namque in autumnum oppugnatione, acerbiſſimæ tempeſtates cum effuſis pluviis coortæ bellum diremerunt. Tum laxiore obſidione terra, marique intercludendo auxilia, quod abſiſtere incepto pudebat, tenere urbem conſtituunt, donec bellum integraretur; curaque cuſtodiendi maris Cornaro delegata eſt. In Dalmatia ſucceſſor Cornaro Molinus datus eſt: ſed neque ibi proſperum bellum fuit: Præfecto namque Venetorum ad Calut oppugnandum ducenti co-

pias Otomani obviam cum venissent, levem Christianorum armaturam adorti, brevi dimicatione fuderunt: magna deinde ne delerentur clade, in veteranis Italorum auxiliis præsidium fuit. Nec aliud memoria dignum eo anno actum. Morosinus, paucis assumptis navibus, ex Peloponneso Venetias rediit, benevolentia magis populorum acceptus, quam gloria rerum gestarum.

In Sarmatia hoc anno majore, quam antea, & intentiori cura ad bellum versi animi sunt; quod Vallachi jugum Turcarum pertæsi, Sarmatas in provinciam vocasse dicebantur. Vallacorum defectio jamdiu & in spe Sarmatis, & in suspicione Otomanis fuerat. Frustratæ Sarmatarum spem non tam vires Turcarum, quam civium, ordinumque perpetuæ inter se discordiæ: tantum certamen animis imbiberant; ut cum jactura imperii potius, quam privatarum factionum administrari Rempublicam vellent. Cum expeditio in Vallachiam non destinata modo esset, sed jam proxima videretur, militibusque edixisset Rex, ut Leopolim convenirent; repente quidam ex Tribunis militaribus gloriæ Regis infensi partem copiarum ab-

abduxerunt. Et pulcherrimæ expeditionis laudem consequi posse rati, si Clepidavam (Kaminietz) nobilem olim Regni partem, armis recuperarent; noctu cum illa manu militum sunt profecti; ut ante solis ortum urbem improvisi adorirentur. Sive imprudentia locorum, sive fraude eorum, quos duces itineris secuti sunt, majus in via tempus cum trivissent, non prius in conspectum urbis venerunt, quam inclinata ad vesper dies est. Ea potissimum dicitur caussa fuisse, cur inceptum evanuerit. Otomani namque, nudato hostium consilio, validas circa in muris stationes disposuere: paratique ad pugnam erant, si qua tentare mœnia hostis vellet. Inexpugnabilis visa arx defendentibus Otomanis: tum regressi sine ullo effectu Tribuni, infames etiam opinione proditæ Reipublicæ in suas quisque provincias se remiserunt.

Et Moscovitæ ex omnibus imperii provinciis juventuta coacta ad bellum, exercitum incredibilis prope multitudinis comparaverunt: ingens quoque tormentorum apparatus sequebatur. Tantis suffulti copiis cum sustulissent animos, velut numerum fortuna, non

virtutem plerumque ſequeretur, Tauros Boriſtenis incolentes ripam invadunt; Crimeam deinde ſuperiore anno parum proſpere initam haud dubie occupaturos rati. Populatio agrorum, incendiaque villarum excivere Tauros ſedibus ſuis: nec ulla, niſi in armis, ſpes ſalutis relinquebatur. Moſcovitæ, quod longe numero ſuperabant hoſtes, occaſionem pugnæ quærebant: nec diſſimilis belli ratio apud Tauros erat, qui in conſpectu urbium ſuarum, ante ora conjugum, liberorumque, quæ magna virtutis hortamenta ſolent eſſe, dimicare malebant: diſcrimen inſuper ſummæ rei addebat animos. Accenſum itaque prælium eſt haud procul a Precopia urbe: dubioque eventu utrique pugna ſunt digreſſi. Cedentibus deinde ſeu vero, ſeu ſimulato metu Tauris, inſtitit veſtigiis hoſtium. Moſcovitum agmen; progreſſumque iter unius diei, Tauros iterum ad pugnam paratos, auctos quoque numero invenit. Sultanus eo cum delectis equitum turmis venerat, opportunum auxilium ſuis. Siniſtrum is Moſcovitarum cornu repente eſt adortus; commovitque aliquanto hoſtis aciem, ſignaque aliquot militaria & tormenta cepit: tum ab

ulti-

ultimis Moscovitarum ordinibus equites acciti certamen æquavere. Et instauratum tertio dio majore cum pertinacia ex utraque parte prælium est. Foscarinus Venetarum rerum Scriptor fusos hac pugna Moscovitas tradit, cæsosque ad triginta millia eorum fuisse: victores alii Moscovitas magnam Tauris cladem intulisse scribunt; mentionemque deinde pacis a Tauris factam; tractatasque inter Moscovitarum Ducem Galizinum, & Regem Taurorum conditiones esse. Illud minime dubium est, secundum prælium hoc non multos in Crimea moratum dies Galizinum retro ad Boristenem castra movisse; atque inde Moscuam regressum magna cum indignatione hominum, qui culpam male gestæ rei in ducem congerebant.

Ad Epidauriam intenti Veneti erant, ne qua obsessis auxilium summitteretur; nec procul inde aberat Morosinus cum classe navium Venetarum, paratus congredi cum hostibus, quos magno navium apparatu audierat Byzantio profectos esse. Otomani classe ad Melum cum pervenissent; supplementumque a Byzantio militum, & piratica- *1690.*

 rum

rum navium ab Africa expectarent, necessitatem Morosino fecerunt maturandæ pugnæ. Pergit ergo protinus navigare Melum, aut summoturus inde hostes, si effugere certamen vellent, aut majore cum fiducia dimicaturus. Cum altum jam teneret, subita tempestas coorta naves dissipavit: laceratas quasdam, ventorum vi abreptas alias scopulis allisisse ferunt; ægre certe, reliquis collectis navibus, Morosinus retro cursum direxisse dicitur; duas Metelinum tempestate delatas, impari adversus Otomanos pugnæ obtulisse: præsidium erat ibi navium Otomanarum. Ut conspexere Venetos Turcæ; alacri clamore ab litore incurrunt; & circumplectentes Venetos, integras primo conabantur indipisci naves: posteaquam vero summa contentione resisti viderunt; tum omni genere tormentorum, & pugnæ hostes supprimere. Valierus Venetorum Præfectus suos adhortatus, ut honestam captivitati mortem præferrent, ad prælium accendebat; donec ignis fortuito accensus navem alteram Venetorum adeptus momento temporis demersit. Nihilo minus non periculo suo, non aliena clade territus Valierus pugnam impavidus sustinebat:

bat: & crebris ictibus quassata navis omnibus aquam compagibus accipiebat: & suffusi rubore hostes, quod ne paucis quidem ac semivivis hominibus pares essent, victoriam indignabantur. Præfecti mors certamini finem dedit: pugnanti, adhortantique milites suos ballistæ ictu dicitur femur laceratum fuisse. At contra ad Epidauriam oppugnatio de integro, ac multo atrocior instituta est principio ferme martii mensis: ita cum nec militum auxilia Otomanorum, unde præsidium suppleretur, neque cibaria, quorum inopia laborabant Oppidani, clam in urbem introduci possent; ultima rerum necessitate victi Turcæ, ne dilatione graviores deditioni conditiones injungerentur, oppidum tradiderunt. Epidauria capta, Peloponnesus omnis in ditionem Venetorum cessit: idque non magis utile in præsentia; quam ad conservandos, simul prorogandos imperii fines opportunum visum est;

Fœdus hic annus Cæsaris rebus, Christianæ Reipublicæ fuit: Duplex namque accepta clades ab Austriacis est. Staclerus Austriacorum in Servia Præfectus, legionem, cui præerat, in hosticum agrum induxit. Late

vaſtanti agros Otomanorum, Taurorumque mixta manus armatorum obviam occurrit: & ex vicinis urbibus multitudo confluentium juvenum ſeſe Otomanis conjunxit. Numero ita longe ſuperiores hoſtibus, circumvenere Chriſtianam aciem. Staclerus ubi pugnæ neceſſitas data eſt, quadrato agmine excepit impetum Turcarum: diuque ſua Germanos virtus, ſcientiaque militaris tutata eſt: multitudine tandem ſuperati, ad unum cæſi omnes, Auſtriacorum tum qui per Serviæ civitates diſtributi Præfecti erant, ſuorum calamitate perturbati (maxime perniciofus in bello hoſtis militi terror eſt) Priſtina, aliiſque relictis urbibus, quas occupaverant, Niſum urbem validam, ſimul firmo præſidio munitam fugaciter ſeſe incluſerunt. Nec felicius adverſus Emericum Techelium in Tranſilvania geſtum bellum eſt. Tranſilvaniæ Princeps hoc anno Techelius Byzantii ab Rege renunciatus, cum ad provinciæ poſſeſſionem properaret, nuntiis, literiſque ad defectionem populos incitabat: & bellicorum fama apparatuum popularium ſibi animos conciliaturus, ex variis hominum generibus collegerat pluſquam XV millia arma-

matorum. Cum hac manu militum aditum in Transilvaniam sibi facere per Vallachiam cum statuisset; nonnullas præmisit Taurorum turmas, qui iter expedirent. Haislerus qui eam pro Cæsare provinciam administrabat, numero copiarum impar, (præter inconditam provincialium turbam, vix quatuor millia Austriacorum sub signis habebat) in arctis montium faucibus, jugisque cohortes illas disposuit; saxisque insuper, & arborum truncis, velut perpetuo vallo, obstruere viam hosti moliebatur. Sed Tauri audaciores difficultate ipsa facti, manu trahentes equos subire montes in aperto hostium conspectu cœpere: perniciosa quidem temeritate progressuri, si constitisset Transilvanis animus. Sed insueta periculis belli gens feroces non sustinuit Taurorum vultus: ita suum quisque deserentes locum, fugam capessiverunt. Secutæ Tauros cæteræ Turcarum copiæ Austriacos fuga provincialium debilitatos haud difficulter loco moverunt: tum victoria nequaquam dubia fuit. Multi pugnates cæsi, multi in fuga capti; captus & Haislerus qui cum paucis delectis peditibus pugnam extraxerat, quoad aliquid spei fuit.

fuit. In tentorium deductus victoris, ab eo indulgenter habitus est, donec permutatione captivorum facta in patriam est remissus. Iisdem, quibus hæc agebantur diebus Maximus Visirus Kiuperlilogli vir maxime inter Otomanos excellens & animi magnitudine, & disciplina militari Sophiam egregio cum exercitu venit: septuaginta millia armatorum erant, lecta robora juventutis Otomanæ. Istrum amnem, ut in potestate sua haberet, magno triremium numero compleverat: & ab onerariis navibus ingens vis commeatuum pervehebatur. Apparuit Albægræcæ oppugnationem Visirum spectare. Id ne consequerentur Otomani; frumentoque, & necessariis aliis rebus prohiberentur, insulam quamdam Orsovæ objectam munivere Austriaci; clauseruntque hosti transitum. Turcæ, motis ab Sophia castris, Nisum extemplo pergunt oppugnare: multos ibi dies obsidio tenuit eos, plurimumque laboris exhaustum est, ante quam urbe potirentur: ea tamen capta, facilius Vendonim, & Semendriam obtinuerunt. Læto hoc rerum principio Otomani ad majus longe inceptum spem sibi fecerunt. Belgradum Serviæ caput va-

validissimam urbem aggredi statuunt; difficilem sane rem; sed rationi aliquando antevertendam audaciam esse; neque inhibendos feroces militum animos existimabant. Et par Germanis in ea oppugnatione fiducia erat: nec diffidebant fore, ut in longa, & maxime ardua obsidione Turcarum vires conficerentur. Sed fortuna, quæ plurimum in bello pollet, victoriam Turcis dedit: octo namque dies in obsidione cum durassent, nec profecissent magis, quam in principio rei; ingens repente in urbe incendium est coortum. Id seu fraude humana factum, seu, ut alii malunt, ex re fortuita, mihi in incerto relictum sit. Sunt enim qui ignitum telum e castris Turcarum in urbem emissum, atque in horreum sulphureo plenum pulvere penetrasse scribunt; indeque incendium excitatum esse. Tanta certe vis flammæ, compressique aeris fuit; ut non horreum modo illud, continentiaque ædificia concussa ruerent, hiscerentve, sed vulgatum alia in tecta incendium sit, magna cum strage domorum, hominumque. Avertit inopinatus tumultus militum, qui muros defendebant, a certamine animos. Ita dum quis-

quisque salutis anxius stationem relinquit; occasionem hosti aperuerunt ad invadendum. Et forte nondum restaurata per circuitum munimenta urbis erant, quæ in præterita prostrata obsidione fuerant; proque muro vallum circum dederant Germani: ad hæc repentina incendii vi pars murorum prociderat: multis itaque simul locis, qua cuique proximum erat, evasere in urbem Turcæ, scalis alii subeuntes, salientes alii vallum, momentoque temporis fuga omnia, & cæde compleverunt. Præfectus, paucique alii milites excepti scaphis in alteram Danubii ripam trajecerunt. Post hanc tam tristem cladem Austriaci, quibus deplorata spes videbatur Sclavoniæ defendendæ, præsidia ex minoribus oppidis deduxerunt: Essek, Dardaque retenta in spem melioris fortunæ. Eodem tamen impetu belli Otomani Sclavoniam occupavere, omnemque eam regionem, quæ inter Dravum, Savumque est; Lippam deinde haud procul a Maro amne, Insulamque Orsovam. Autumni fere medium tempus erat; nec tamen abstitere ab Essek oppugnando Turcæ: sed repulsi sæpe a muris, cum oppressura eos hiems esset, soluta ob-

obſidione, in hiberna ſe redegerunt.

At Leopoldus Tranſilvaniæ metuens, poſt acceptam ibi ab Haislero cladem, Aloyſium eo Badi Regulum cum imperio miſit; ut Auſtriaco nomini nuper obſtrictam provinciam conſilio magis, quam metu, & viribus in officio contineret. Properanti Aloyſio in Tranſilvaniam tranſducere copias qua parte ex Vallachia tranſitus in provinciam eſt, Emericus Techelius valido cum exercitu ex miſtis hominum generibus collecto obviam venit. Haud procul a Retzmark; ordinibus inſtructis, certatum eſt. Techelianorum prima acies brevi conatu pulſa: mox in cæteros quoque terror, & cædes pervenit: nec remorati fugam ſunt. Techelius cum reliquis, qui cædi ſuperfuerant, fugaciter in Vallachiæ interiorem partem recepit ſe. Ita ab Aloyſio Tranſilvania amoti hoſtes; ut non victoriam modo retuliſſe ab iis; ſed nobilem Cæſari provinciam conſervaſſe merito diceretur. Hoc anno moritur Tranſilvaniæ Princeps Michael Abaffus; cui filius ſucceſſit ſub tutela Auſtriacorum. Longe lacrymabilior fuit mors Caroli Lotharingiæ morbo Viennæ extincti: immatura mors viſa omni-

omnibus, & inopportuna, priſtinis jam renaſcentibus malis; felicitas eum præteritarum rerum, vitiaque temporum deſiderabilem faciebant. Sincerus itaque luctus omnium in ejus funere fuit; quod maxima pompa, proſequentibuſque militaribus ordinibus celebratum eſt. Moribundum eum leviro Cæſari uxorem, parvoſque liberos commendaſſe tradunt; conſtantiſque, & Chriſtiani viri ſpeciem uſque ad ultimum præbuiſſe: ut non lacrymis temperaſſe Leopoldum ferunt; & deſiderio deinceps tanti viri ſœpe animo affectum eſſe. Cæterum cum ætate ejus defloruiſſe quoquo modo fortuna viſa eſt: præclarioraque prima vitæ tempora, quæ materiam gloriæ præbuerant, quam poſteriora vero dici poſſunt.

Per hyemem interea Otomani ſuperba quadam vanitate inflati non quieverunt: ſollicitique invicem Germani, ne adverſus Budam, atque Eſſek priſtina conſilia reſumerent, veteres refecerunt munitiones urbium, novaſque ædificaverunt. Seu providentia hoſtium deterriti Turcæ, ſeu acerbitate hyemis nihil ultra moverunt ſe, quam, ſuperato Iſtro, pergerent Segedunum; tra-

je-

jectoque mox Tibifco amne, magnam ejus regionis partem, quæ inter Tibifcum, & Calut eft, incendiis, & populationibus vaftarent. Velicæ quoque (in Sclavonia is locus eft) per idem tempus illata arma. Summotos a muris Otomanos opera, & virtute Monacorum tradunt (quos Minoritas appellant) armatos deinde erupiffe eos, popularibufque immixtos perfecutos fugientem hoftem effe, quoad via corporumque vigor paffus fit. Et inter Savum, Dravumque alternis cladibus populationes effufe factæ. At Budæ quorumdam improborum dolo civium magnum conflatum incendium eft: nec tamen ad quos fcelus pertineret indicium ullum extabat: cautum deinde in pofterum, ne ulla occafio molientibus pateret renovandæ fraudis. Magno interim apparatu armorum Germani pariter, Otomanique in bellum imminebant: præteriti anni clades obliteraturos fe Germani credere novarum rerum felicitate: Otomani recentibus victoriis elati, novis quoque aucti viribus (confluxerat enim undique fub figna armata juventus) haud difficile exiftimabant fore; ut fi paullo acrius anniti vellent, Pannoniam

niam omnem, Regiamque ipſam Budam repetere armis poſſent. Et minimis quoque fortunæ momentis ſuopte ingenio gens capitur. Varadini Præfectus nuntiis, literiſque Pannoniæ civitates ad defectionem ſollicitabat: captandiſque vulgi animis rumore & fama virium, Otomani imperii opes prætermodum extollebat, deprimebatque Auſtriacas. „ Innumerabiles mox ab Aſia, „ Europaque erupturas legiones eſſe, quas „ capere provincia non poſſet: ad hoc tan„ tum commeatuum, armorumque advectu„ ras; ut urbium horrea defectura copiæ eſ„ ſent: tantum auri, argentique; ut Leopol„ dum ipſum emere cum ſuis Germanis poſ„ ſent „. Hac vaniloquentia leviores ad omnem ſpei auram decipiebat; quibus vero aliquid rationis, & conſilii inerat, ſoliciti de tan-
1691. ti belli exitu videbantur. Contracto interim ſub prima ſigna veris ab Sophiam exercitu, Viſirus legiones quaſdam ultra Savum præmiſit; ut metu, & præſentia ſua dubiam in fide gentem confirmarent. Et ſubvehi ratibus commeatus cœpti, diſtribuique per Serviæ, Sclavoniæque civitates. Et inter horum motus armorum legio una Turcarum Albagræ-

ca,

ca, adverso amne, profecti, Titul Austriacæ partis urbem pervenerunt. Epugnare deinde eam cum tormentorum ope, tum non intermissis præliis annitebantur; quod adventare Austriacorum auxilia vulgo ferebant. Hi namque, audita obsidione urbis, cum valida manu peditum, usque ad Tibiscum promoverant castra. Sed altitudine amnis retenti, ne porro irent, vanum auxilium suum, vanum adventum fremebant. Præsidiarii ex variis hominum generibus mixti, quos auxiliorum spes tamdiu sustinuerat; postquam prædamnatam sibi cognoverunt, conditiones pacti cum hoste, deditionem fecerunt. Urbe tradita, promissis non stetere Barbari; tantaque deinde Austriacis indignatio orta dicitur; ut nullo neque servitutis, neque mortis periculo territi, jactarent sese in circumfusos hostes; oppletique suo, atque inimicorum sanguine cæsi ad unum omnes expirarent: ducenti ferme Austriaci, octingenti Turcæ cecidere; Haud multo post Badi Regulus Tibiscum trajecit; Istrum deinde cum exercitu transgressus Semlinum contendit ire; quod prope eam urbem Otomanos audierat ex Servia, progressos esse. Vi-

firus namque multitudine sua lætus (centum armatorum millia confecerat) duobus in Savo pontibus factis, exercitum traduxerat in eum Sclavoniæ angulum, ubi Savus Istro jungitur, opportunum pugnæ locum, quo terga, lateraque legionum suarum tegebantur; munitionesque insuper adjacerat; ut nisi sponte, ac volens, compelli ad pugnam non posset. Badi Regulus castra cum adequitasset hostium, ubi nec vallum, nec munitiones ulla expugnabiles vi cognovit esse, aquationemque sibi difficilem fore; Salenchemen urbem propinquam, aquationi, & commeatibus subvehendis maxime opportunam convertit castra. Excivit hæc, velut meticulosa profectio Austriacorum a vallo Turcas; confessionemque concessæ victoriæ expressam Germanis credentes, quod detrectassent pugnam, colles quosdam juxta Acunincum, nec procul a castris Austriacorum cœperunt. Facile apparebat, castris in conspectu utrinque positis, cum neutri certamen declinarent, brevi inter se ferro dimicaturos esse. Prævenit lacessire hostes Badi Regulus; sed priusquam instructæ inter se concurrerent acies; adhortandos uterque

que Dux milites rati; parumper, dum alloquuntur, silentio continuerunt. „ Apud
„ suos Visirus; Certum habeo, inquit, com-
„ militones mei, sæpe vos ante egregiam
„ navandi operam Reipublicæ occasionem
„ expectasse; & nunc ultro oblatam læto
„ animo suscepturos esse. Me quoque ju-
„ vat, rebus antea a me bene gestis, qua-
„ rum plerosque vestrum socios, vel testes
„ habui, nova hac per vos, & singulari
„ victoria cumulum afferre. Enimvero non
„ tam gloriosa nobis victoria futura est,
„ quam necessariam Reipublicæ factura præ-
„ sens temporum conditio: adeo ut nec
„ faciliorem sibi patria triumphum sponde-
„ re possit: desperetque invicem, modo hoc
„ omittamus, ullo usquam tempore se as-
„ secuturam esse. Repetite paullisper ani-
„ mo, milites, quæ paucis his annis vel
„ adversa, vel læta fortuna nostra gesta
„ sunt; quas principio belli, sequentibusque
„ aliquot annis ab hoste clades acceperi-
„ mus; quibus deinde artibus quæ prostrata
„ jam, ac pene amissa Reipublica videba-
„ tur, erecta per vos, ac restituta est.
„ Jam primum ad Viennam Visiri stulti-

„ tia, cæſo, fugatoque exercitu noſtro, non „ Pannoniæ modo, regiæque Budæ poſſeſ- „ ſionem amiſſimus; ſed ultra Dravum, „ hinc ultra Savum ejecti, duarum nobi- „ lium provinciarum imperio exturbati fui- „ mus: Tranſilvaniam quoque, vectigales „ noſtros, hoſtium prædam vidimus eſſe; „ nec niſi ultra Danubium amnem in inte- „ rioribus imperii provinciis conſiſtendi lo- „ cus fugientibus datus eſt. Et jam Danu- „ bium ipſum Germani traſcenderant; Ser- „ viaque magna ex parte ſubacta, Chriſtia- „ norum tumultum caſtrorum pene ab Re- „ gia Byzantio exaudiebamus. Albagræca „ namque, & Niſo captis, quid porro au- „ dere, aut conſequi poſſe non videbantur? „ In hac deſperatione rerum, cum fortiſſi- „ morum quoque virorum manus, & conſi- „ lia torperent; mihi, vobiſque ſuperne „ data mens eſt; mirabiles divinitus infuſæ „ vires; ut tumentes illos quaſi fluctus ma- „ lorum, naufragium minitantes ſedibus no- „ ſtris cohiberemus primum; de in ſortes „ populorum mutaremus; mox victoribus „ etiam redderemus clades, & illatum no- „ bis antea terrorem. Serviam imperii ca-

„ put,

„ put, arcemque uno felici impetu recupe-
„ ravimus; expulimus deinde hoftes ultra
„ Danubii fines: & Sclavoniæ, & Panno-
„ niæ partem in libertatem vindicavimus;
„ integras eas provincias, fi fortem noftram
„ non abnuimus, haud dubie recepturi.
„ Quorum hæc recordatio viciffitudinum no-
„ ftrarum, milites? ut firmum, deftinatum-
„ que vobis fit, nunc ardua quæque aude-
„ re, & eniti, ut bellum conficiatis; duni
„ facilior vobis victoria eft, cæfis toties,
„ ac profligatis hoftibus; duabus modo re-
„ ceptis provinciis; dum aucta vobis, con-
„ firmataque fpes eft, fracti animi, & vires
„ hoftium; quos conclufos undique, velut
„ clauftris, hinc armis, fluminibufque;
„ hinc præfidiis veftris habetis: dum deni-
„ que major, certiorque fiducia inferenti
„ bellum debet effe, quam arcenti. Illos
„ enim probabile eft dimicaturos effe non
„ tam victoriæ fpe, quam ne fponte vobis
„ cedere, & provinciæ poffeffione fe abdi-
„ caffe vidieantur: tempus trahere; & for-
„ tis, quam virtutis, cafuum fortuitorum
„ auxilia, quam virium fuarum expectare
„ in animo habent: iidem fperant fore; ut

 „ com-

„ compresso Gallico tumultu, quo nunc te-
„ nentur, adversus vos duplicent vires suas;
„ & Germanicis, Italisque contractis auxi-
„ liis, cooriri vehementius in arma pos-
„ sint. Id vero unum, quod extremum est,
„ si socordia nostra contingerit, milites; re-
„ formidat animus dicere, quid nobis de-
„ nuo timendum, quid sperandum illis, at-
„ que audendum sit. Nec fortis tum nova
„ auxilia, nec virium nobis, expectanda
„ credideritis; nullam usquam victoriæ ho-
„ stibus eripiendæ fiduciam fore; qui nunc
„ etiam, recentibus quamvis afflicti cladi-
„ bus, cum toties detrectaverint pugnam,
„ nescio qua capti spe, a lacessendo, atque
„ ultro inferendo arma non abstinent. In-
„ tra vallum nos oppugnatum veniunt;
„ quod strenuos se milites; mancos vos, &
„ imbelles sperant futuros. At vos, qui ut
„ semel arripuistis arma, vel victoriam vo-
„ bis ab hoste, vel honestam certe mortem
„ proposuistis; non defendere modo corpora
„ vestra, sed ultro signa inferre, & comi-
„ nus rem gerere; & quibus virtute non
„ cessistis, eos certe copiarum numero supe-
„ rare; & quibus virtute non cessistis, eos
„ cer-

„ certe copiarum numero ſuperare, ac pro-
„ fligare oportet. Hoc denique fixum, per-
„ ſuaſumque animis ſit, ab unius eventu
„ pugnæ, quam hodie utrique populo for-
„ tuna propoſuit, vel iterum cedenda Ger-
„ manis, quæ virtute veſtra recuperaviſtis;
„ vel in perpetuum reſtituendam vobis pri-
„ ſtinam Remp. eſſe.

At Badi Regulus, ut metum militibus demeret, quem tanti fama belli, ac difficultas inſinuare in animos potuiſſet; dum Chriſtianorum inſtruebantur ordines, aciem perequitans, voce, qui circa ſtabant; nutu cæteris, vultuſque, & corporis habitu victoriæ fiduciam ſignificabat: & invictum ſimul Crucis vexillum oſtentans, quod eminebat in campo, ſpem pariter, atque animos addebat: tum vero; „ En illa, infit, aliquando illu-
„ xit dies vobis, qua perpetua cum laude
„ veſtra, milites, cum uberrimo impenſo-
„ rum operum fructu militari curriculo fi-
„ nem imponeretis. Eadem illa eſt, qua
„ mihi ab exercitu meo pro militari tiroci-
„ nio, & providentia mea erga vos; a me
„ vobis invicem pro Republica toties bene
„ geſta par gratia rependeretur. Enimvero

 „ Re-

„ Religioni, & patriæ, quod maximum of-
„ ficium eſt, maturos hic fructus pietatis,
„ virtutiſque, quas Illæ in nobis velut in
„ fertili agro ſeverant, univerſi reddituri
„ ſumus. Nec dubito, quin omnes ea mente
„ arma ceperitis, ſocio, & ductore me; ut
„ ſtabilem in his provinciis Chriſtianæ Re-
„ ligioni ſedem poneretis; patriæ proroga-
„ retis imperium: tum vobis honeſtam pro
„ longinqua militia mercedem, & labori
„ requiem nanciſceremini. Quæ omnia ſi-
„ mul adepturi eſtis, ſi qui in conſpectu
„ veſtro hoſtes ſunt, eos eſſe memineritis,
„ quos toties, pede collato, juſta cæde con-
„ feciſtis; a quibus tot Chriſtianos greges
„ in libertatem aſſeruiſtis; quibus provincia-
„ rum poſſeſſione pulſis, triumphantes cum
„ præda domum rediſtis ad conjuges, ad li-
„ beros veſtros. At numerus eorum perti-
„ meſcendus eſt; fortaſſe hoc dicet aliquis;
„ audivimus enim ab omni Aſia, Europa-
„ que Otomana ingentem contractam mul-
„ titudinem ad bellum eſſe. Nec majorem
„ uſquam, nec meliorem ſpem ipſi habere
„ poſſint: mihi certioris victoriæ argumen-
„ tum exhibent. Quid enim tumultuarium,
„ &

„ & suis ipsum impeditum armis agmen
„ tironum terroris unquam veterano militi,
„ & Germano præbere possit? qui majorem
„ certe numerum, graviores acies, ut prælia
„ ad Strigonium, ad Semedriam taceam,
„ non semel meo ductu fugastis; qui præ-
„ dam ex numero eorum, non pugnæ dif-
„ ficultatem extimare consuevistis. At sint
„ sane pericula quædam, & belli difficulta-
„ tes (quod enim unquam sine periculo
„ bellum fuit?) hæc strenui militis virtu-
„ tem acuere, & negligentiam excutere, &
„ laxiorem coercere disciplinam possunt.
„ Hoc ego præstabo vobis, nullum ab e-
„ xercitu hostium, quippe tirone, & sub
„ signa per vim coacto; nullum ab numero
„ eorum, quem semper contempsistis; nul-
„ lum denique ab ducibus vestris, quos so-
„ cios, & adjutores uniuscujusque virtutis
„ habituri estis, periculum fore. Non enim
„ virtuti suæ confisi Barbari contra nos ho-
„ die pugnaturi sunt: hoc modo sperant
„ futurum; ut cum illorum similibus bel-
„ lum gesturi sint, quos præterito anno ad-
„ versarios habuerunt. Nullus adeo con-
„ temnendus hostis est, cui si negligentia,
„ ti-

„ timiditate tua vires adjeceris, extorquere,
„ atque eripere victoriam non possit: utri-
„ usque fortunæ exemplum nobis isti iidem
„ Barbari præbuerunt: Hæc ego vobis pe-
„ ricula propono; ne usquam armato militi
„ in bello fiduciam, nisi quam armis, & per-
„ tinacia obtinuerit; ne usquam, nisi in virtu-
„ te positam victoriam existimetis. Numero
„ suo confisi Barbari, victum nos iri sperant;
„ quod dextra Savo, lævà Danubio inter-
„ cludimur; quod a tergo Otomana præsi-
„ dia sunt, armatus hostis a fronte; idcirco
„ corporibus vestris se potituros putant. Hæc
„ quæ inermibus, & timido militi difficul-
„ tates, vobis eadem necessitates sunt, at-
„ que incitamenta ad virtutem; fugæque
„ sepofita spe, expeditior vobis victoria fu-
„ tura est. Majores certe ad Dardam diffi-
„ cultates belli, & pugnæ expertis non mul-
„ titudo ibi Barbarorum, non commeatuum
„ angustia, non paludes interpositæ, non I-
„ ster denique receptum in Pannoniam clau-
„ dens victoriam remorati sunt. Nunc quo-
„ que memores virtutis vestræ spero, & du-
„ cum vestrorum fiduciæ non defuturos.
„ Quacumque enim circumtali oculos, ple-
„ na

„ na omnia animorum, plena virtutis vi-
„ deo; Pannonos socios, natam bello gen-
„ tem, & crudelitatem Otomanorum ex-
„ pertam; fortissimorum Italorum voluntaria
„ auxilia; vos Germanos cives veteris mi-
„ litiæ florem pro Religione, & patria, pro
„ sua quemque spe acerrime pugnaturos.
„ Nulla usquam, non modo hæc tironum,
„ sed potentior quævis Barbarorum acies tan-
„ tum Christianæ juventutis robur avertet.
„ Simul infestis signis concurreritis, & Ger-
„ manos illi vos esse sentient, ferociam ve-
„ stram, notam virtutem non sustinebunt.
Accensis ita utrinque militum animis; in discrimen summæ rei ventum est. Ab dextro Germanorum cornu initium pugnæ factum; sinistrum deinde adversus maxime equitatum Otomanorum impulit signa: & pari primo utrinque ferocia universis viribus pugnabatur. Germanos sua virtus, disciplinaque tot antea præliis experta; ferocia Otomanos insita genti, numerus suorum, & cœca quædam superstitio, qua cuncta fato trahi rentur, pertinaces in certamine faciebat. Nec Barbarorum virtutem dissimulaverim, qui principio pugnæ obnixi impetum cum tole-

ra-

raviſſent; urgere deinde ipſi hoſtes, & ſummovere loco; donec ſucceſſu audaciores facti in mediam Germanorum aciem penetraverunt. Hic Viſirus, ſuam militibus victoriam eſſe clamitans; inſtarent paullo acrius adhortabatur, & rem feliciter cœptam conſtantes perducerent ad exitum. Enimvero Aloyſius in inſolito illo ſuorum pavore parumper hæſitans, accitum propere ab ultimis ſignis integrum militem, procelloſo hoſti oppoſuit. Ita prælium, ita acies æquata eſt. At pugna deinceps ubique, & cædes creſcere, præcipue audaciſſimorum. Ibi ex Germanis Arembergus, & Sdrinus, & Suſa Tribuni militum pugnantes ceciderunt: ibi alii vulnerati; trunci alii abſtrahebantur prælio manibus ſuorum. Sed longe major inter Turcarum ordines ſæviebat cædes; urebatque paſſim Barbaros tot campo. Et integravere impetum Auſtriaci in equitatum Otomanorum, incitati maxime vocibus Imperatoris, qui ſigna armatus prævolans, certamini ubique ſe objecebat. Non ſuſtinuerunt novam hanc impreſſionem equites; cumque nudaſſent latera, jam & ab tergo, & ab lateribus, & a fronte Otomani trucidabantur.

Tum

Tum omnis pulsa acies est; & suæ quisque saluti metuens, arma passim, & vestes jactare; ne tardiores in fuga essent. Vallum quidam palati procursantes saliunt; præcipitique inde cursu Savum petunt, cladis suorum in Serviam nuntium, & tristem laturi speciem; globati alii viam sibi per confertos hostes moliuntur facere. Visirus, cum nec a fuga suos retrahere, nec victoriam interpellare Austriacis potuisset; fugiens ipse turba suorum procul a castris est ablatus: ibi seu ab ignaro hoste ictus, seu multitudine fugientium oppressus cecidit: Cadaver nusquam aut inter suos, aut inter hostes inventum. Huic certe in hac pugna mortuo debitas non denegaverim laudes; quippe qui unus accisas imperii Otomani vires virtute sua, consilioque restituerit. Christiano, quam Barbarorum Duci similior, justo, moderatoque imperio regere exercitum, & urbanas factiones solitus; idem non tributis exhaurire populos, neque ærarium immodicis largitionibus: providum imperii rectorem vulgo eum credere; & milites, quibus æra procedebant, satis facilem Imperatorem.

FINIS.

ER-

ERRATA			CORRIGE.
Pag.	verf.		
7.	10.	fero	vero
7.	20.	habeant	habent
7.	20.	quibus incitentur	quæ imitentur
7.	23.	exhibuit	exhibebit
8.	8.	exiſtimabant.	exiſtimabant;
10.	4.	una	ſua
13.	2.	exemplo: ad	exemplo, ad
13.	18.	ipſe	ſpe
14.	11.	impendat	impendeat
14.	12.	quod non	quid non
15.	5.	vi quam	vi quam
16.	19.	ſolimani, illa	Solimani illa,
19.	14.	urbaniſque	urbiſque
22.	4.	ſevirum	levirum
23.	26.	calorum	calonum
25.	2.	ſevir	levir
29.	3.	Chriſtiani	Chriſtiana
29.	21.	Certe	Corte
31.	4.	diminutos eſt	diminutos eos
31.	15.	iſtibus	ictibus
32.	17.	hoſtium	hoſtes
33.	17.	Sabaudiæ	ſubaudiæ

ER-

Pag.	vers.	ERRATA	CORRIGE.
38.	25.	tunc pelli	tum pelli
41.	16.	inferre arma ,	inferre arma :
41.	17.	in interioribus	in interioribus provinciæ sitam esse
53.	2.	& qui sevir	qui & levir
53.	13.	1683	1684
57.	15.	ripa colligatis in inferiore	ripa colligatis: in inferiore
61.	3.	hiberni imbres ingentibus procellis	hiberni imbres cum ingentibus procellis
61.	25.	ut ante dictum est, suo ære	ut ante dictum est, Visiratum occeperat, suo ære
64.	21.	Ad Œoliam	Ad Œcaliam
65.	2.	bellum geri posse. Morosinus	belli geri posse; Morosinus
66.	17.	Inter hæc Otomanorum Præfectus navium	Inter hæc Otomanarum Præfectus navium
71.	21.	intruseranque	incluserantque

ER-

ERRATA CORRIGE.

Pag.	verſ.	ERRATA	CORRIGE
72.	15.	abſtracturum ab Nayhayſele	abſtracturum ſe ab Nahyaiſele
78.	20.	Hic ſquallor, & luctus	Hic ſquallor, luctus
79.	3.	quæ	qui
75.	23.	inorbem ;	inorbem
e	24.	præliis	præliis,
84.	3.	vagari, Sarmatiam	vagari Sarmatiam
88.	26.	velut ea mœnia	velut intra ea mœnia
89.	16.	fecit	fuit
90.	21.	pro;	pro
86.	17.	ipſi	ipſos

Illustrifs. & Reverendifs. Dominus D. Salvator Canonicus Ruggiero S. Th. Professor revideat, & in scriptis referat. Die 9. Maii 1795.

P. EP. TIEN. VIC. GEN.
JOSEPH ARCHIEP. NICOS. CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRÆSUL:

COmmentarius belli, quod præterito vergente sæculo inter Christianos Reges atque Otomanum Principem exarsit, graviter sciteque conscriptus a præclarissimo Vincentio Maria Caputo, ipse per se postulat, ut prælis commissus publicæ lucis usura fruatur. Ancipites enim variique casus, quorum æstu bellum illud fluctuavit, atque excellentium Virorum præclara facinora jucundissima legentis animum explent voluptate. Cum autem nihil inibi occurrat, quod a Christianæ Religionis dogmatis desciscat, aut morum honestati adversetur, nihil prohibere posse reor, quo minus omnium lectioni commendetur; si quidem per Te liceat, Cardinalis amplissime. Datum Neapoli pridie Non. Jun. MDCCXCV.
Eminentiæ Tuæ Reverendifs.

Addictifs. atque obsequentifs.
Salvator Can. Rogerius.

Attenta relatione Domini Reviforis imprimatur. Die 20. Maii 1795.

P. EP. TIEN. VIC. GEN.

JOSEPH ARCHIEP. NICOS. CAN. DEP.

Adm.

Adm. Rev. P. F. Cherubinus Salerno in hac Regia Studiorum Universitate Professor revideat autographum enunciati operis, cui se subscribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum, & in scriptis referat; potissimum si quidquam in eo occurrat, quod Regiis juribus bonisque moribus adversetur, & si merito typis mandari possit. Ac pro executione Regalium Ordinum id'm Revisor cum sua relatione ad nos directe transmittat etiam autographum ad finem. Datum Neapoli die X. Mensis Julii 1794.

F. ALB. ARCIEP. COLOSS. C.M.

S. R. M.

OPus de Bello Otomanico cum Christianis, cui titulus: *Sacri Fœderis Historiæ*, ab Auctore non mediocri eruditione, & latialis Sermonis elegantia exacte elaboratum nequicquam redolet, quod Christianæ ethices, aut Majestatis jura vel minimum offendat. Quapropter, ubi M. V. libuerit, typico prælo mandari posse, ut in lucem edatur, æquum existimo.

M. V.

Datum Neapoli in Conventu S. Dominici Majoris. Die 22. Mensis Julii an. 1794.

Addictissimus Cliens Fidelissimus
F. Cherubinus Salerno.

Die

Die 27. mensis Novembris 1794. Neap.

Viso Rescripto S.R.M. sub die 22. currentis mensis, & anni, ac relatione Reverendi Patris F. Cherubini Salerni, de commissione Reverendi Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majestatis.

Regalis Cameræ S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Revisoris. Verum non publicetur nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione, affirmetur, quod concordat, servata forma Regalium ordinum; ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum.

TARGIANI. BISOGNI.

Vidit Fiscus R. C.

Illustris Marchio Citus Præf. S. C., & ceteri aularum præfecti tempore subscriptionis impediti.

Pascale.